
BIBLIOTECA NAZIONALE
6
18 B
61
VITTORIO EMANUELE

Nicol. ~~[illegible]~~ Caussini Tragoediae sacrae

TRAGOEDIÆ SACRÆ.

AVTHORE P. NICOLAO CAVSSINO Trecensi, Societatis IESV *Presbytero.*


Coll. Rom. Cat. Soc. Jesu Inscript.




PARISIIS,
EX OFFICINA NIVELLIANA.
Apud SEBASTIANVM CRAMOISY,
viâ Iacobæâ, sub Ciconijs.

M.DCXX.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

B.S.



Illuſtriſſimo ac Reuerendiſſimo D.




HENRICO

GONDIO CARDINALI

RADESIENSI, PARISIENSI

EPISCOPO.





Ermenigildus noſter (Cardinalis Illuſtriſſime) nuper à te ſpectatus in Syrmate, nouis Calendis ad te redit, florenti & ſatis numeroſo aliorum

quoque Martyrum comitatu. Veniunt purpurati ad Antiſtitem purpuratum & quidem lubentiùs, ad eum Antiſtitem, cuius domus ſacrarium eſt pietatis, pectus ara conſilij, os, Dei, ſimul & Regis oraculum, vita morum cenſura perpetua. Nec mirum ſi te vnum hominem, duo veluti partiuntur mundi rebus ſacris humaniſque diuiſi, cùm præſertim tibi tantum ſit à Deo lucis, quod vtrique poſſis cumulata menſura refundere. Vbi igitur dignior in terris Martyribus noſtris ſacriſque Tragœdijs locus, quàm in ſinu tuo,

qui grauitatem cum ſanctimonia tanto humanitatis temperamento coniunxiſti? Vtinam argumento par Authoris fuiſſet ingenium, haberes à nobis munus omni ex parte luculentum: Sed qualecumque demùm ſit, iuuat in iſto potius ſtylum conſecraſſe, quàm in humanis deſudaſſe fabulis, quas qui ſectantur auidiùs, votum plerumque faciunt ex vitio, & inflatas inani ſpecies oſtentant mera concharum quæ vocant *phyſemata.*

Tu habe bonos bonis calendis hoſpites, ſanctæ auſpices

felicitatis, quorum omnia tibi precibus fortunari vehementer exopto, eius Societatis minimus, quam tibi æterna *lege deuotionis* obstrinxisti.

Illustrissimæ A. T.

Addictissimus NICOLAVS CAVSSINVS *Societatis* IESV *Presbyter*.

FACVLTAS R. P. PROVINcialis Societatis IESV.

STEPHANVS CHARLETVS *Prouincialis Societatis* IESV *in Prouincia Franciæ, potestate ad id mihi facta ab admodum R. P. N. Præposito Generali Mutio Vitellesco*, *facultatem concedo*, *vt* P. NICOLAI CAVSSINI *Societatis* nostræ Sacerdotis Tragœdiæ, *eruditorum ex eadem Societate nostra virorum iudicio probatæ, typis excudantur. Datum Parisiis* 15. *Maij*, *anno M. D C. X I X.*

STEPHANVS CHARLETVS.

SVMMA PRIVILEGII REGIS Christianissimi.

LVDOVICI XIII. Franciæ & Nauarræ Regis Christianissimi authoritate concessum est Sebastiano Cramoisy, & Sebastiano Chappellet Bibliopolis Parisiensibus, typis mandare, & venales habere P. NICOLAI CAVSSINI *Societatis* IESV *Sacerdotis Tragœdias*, aliisque cuiuscumque conditionis interdictum est intra decennium, vt patet in diplomate Regio dato Parisiis 14. Octobris 1619.

Subsignato, RENOVARD.

TRAGOEDIARVM ORDO.

SOLYMA
TRAGOEDIA.



ARGVMENTVM.

MAgna hîc facies calamitatis, non obſcura vindicis numinis in deſertorem populum argumenta. SOLYMA religionum antea ſacrarium, cùm excuſſo Dei iugo ſe in profundam idololatriæ & vitiorum omnium voraginem demerſiſſet, à Nabuchodonoſore Aſſyriorum Rege acri obſidione cincta capitur, & vaſtatur. Rex Sedecias interfectis filijs, erutiſqne luminibus, Babylonem vinctus abducitur. Vide Regum 4. 25. Paral. 2. 36. Contigit hæc calamitas anno mundi 3410. Vrbis conditæ 164. ante Dominum 590. Sedeciæ XI. Nabuchod. 19.

Oeconomia poëtica.

DAmus in primo actu Hieremiæ vaticina, & Sedeciæ ſtuporem. In ſecundo pugnas & vrbis quæ iamdiu in extremo iacebat diſcrimine excidium. In tertio fugas Sedeciæ, & filiorum. In quarto iudicia. In quinto cataſtrophen, quæ paulò pleniùs explico.

ACTVS PRIMVS.

HIEREMIAE *suæ gentis lethalem plagam acerbißimè lugenti, Angelus extremam vrbis, & Regis calamitatem,* Virgæ vigilantis & ollæ ſuccenſæ *feralibus ſignis denunciat, quam cum ipſi Sedeciæ quod ante fecerat ſignificare vellet, à Phaſſuro in lacum inſidioſißimè coniectus prohibetur. Rex interim cum filiis, ſuis quaſi funeribus proludens belli conſilia agitat, de cuius exitu ſciſcitatus à ſacrifico quodam magicarum artium ludibriis decipitur. Conſtat certè Hebræos præuaricatos iuxta vniuerſas abominationes gentium. Paral.* 2. 36.

ACTVS SECVNDVS.

NABVCHODONOSOR *cum principibus de ciuitatis obſidione deliberat. Hîc ex Chaldæis Seregel fulminaſter quiſpiam producitur, qui gigantæo faſtu vrbem aggreditur, & Hebræos ad ſingulare certamen prouocat:*

Ex aduerso illi Eleazar, & Azarias duces fortissimi opponuntur, in quibus eximia fortitudo obiter depingitur. Pugnæ & conflictus auribus potiùs quàm oculis subijciuntur.

ACTVS TERTIVS.

V*RBS longa antea obsidione tentata ferro & flamma vastatur. Rex cum filiis per solitudines fugiens capitur: sed id vario exitu; Abdias enim regis filius natu maior primus à Chaldæis idque* κατὰ τὸ σιωπώμενον *intercipitur: minor cum armigero fuga elapsus & dissimulato habitu, à pastore tantisper occultatus, proditur. Sedecias inter spem metumque diu iactatus tandem in manus Chaldæorum militum delabitur, quod actu sequenti narratur.*

ACTVS QVARTVS.

H*IEREMIAS narrat & deflet Sedeciæ & filiorum vincula. Nabuchodonosor insigni lætitiâ delibutus põpas victoriæ celebrat.*

Eleazarũ & Azariã principes, mox ipſum Sedeciam in vinculis produci iubet, de quorũ ſupplicio cum principibus, deliberat. Reque varijs ſententijs agitata, Rex inter fortunæ obſequia minimè ſui potens, Sedeciæ oculorum priuationem & perpetuum carcerem; filijs eius cædem crudeliſsimè decernit.

ACTVS QVINTVS.

POST fatale decretum Nabuchodonoſor Sedeciæ filios per Tribunum acceſit. Pater non vanus augur ſuæ calamitatis ægrè à ſe dimittit: Illi à rege diſsimulato crudelitatis conſilio comiter excepti, ſtatim interfici ſub ipſis Patris oculis cum Eleazaro & Azaria principibus iubentur, quippe ex Ieremia habemus Nobiles Iuda *occiſos. Sedecias filijs & oculis orbatus magno iuſtitiæ diuinæ documento lamentabilem tragœdiæ cataſtrophen facit.*

PERSONÆ.

ANGELVS.
HIEREMIAS.
SEDECIAS.
ABDIAS. } filij Sedeciæ.
ARIEL.
ELEAZAR. } Duces.
AZARIAS.
PHASSVR.
DEBIR armiger.
NABVCHODONOSOR.
NABVZARDAN.
SEREGEL.
ZAREAS vates.
ROHEG pastor.
MILITES.
NVNCIVS.

CHORVS Hebræorum.



SOLYMA TRAGOEDIA.

ACTVS PRIMVS.

HIEREMIAS.

Hieremiæ vrbis calamitatem lugenti, Angelus eiusdem excidium ollæ incensæ signo prædicit.

LVgete cœli templa, & æterni Lares,
Mergite pudendum nube funesta diē.
Fontem reliquit Solyma, nunc resides aquas,
Cœnóque inerti semper obsessos lacus
Hiante captans gutture accendit sitim.
Vah spurca meretrix, facibus illicitis furens,
Cui non voluta corpus appressit loco?
Quem non perussit igne furiali thorum?

Hinc dira late funerum infremuit cohors;
Hinc vltor ille gladius è cælo ruit,
Et iam negata rebus accisis salus.
Heu Solyma! quondã Solyma! nunc terræ pu-
Nunc execratũ pondus, & plaga, & lues (dor,
Scelerosa facies tartari, vmbrarum domus.
Hîc Medus ensis fulgurat, stridet, tonat,
Ardetque semper sanguinis riuo tepens.
Hîc barbarorum fœda colluuies ruit
Infesta tectis, mœnibus, templo, focis.
Non sic cometæ crine ferali rubent,
Vt hic ahena luce subtexens polum
Horret maniplus militum, & spoliis ferox
Intentat astris ore sacrilego minas.
At semper vrbi tristis impendet vapor,
Atroque Titan sanguine infuscat faces.
Flagrat cruentis faucibus sæuùm tumens
Furiale sidus, lumine infesto minax
Contristat auras, & rogis addit rogos.
Enecta culmis repit in macie seges,
Et ægra tabe languet, & fruges negat.
Rictus caninos exerit turpis fames
Impasta pascens corpora, ah nimium vorax!
Per ossa regnat liuida, in vacuo furit.

Serpunt plateis heu viri! non iam viri,
Sed vmbræ Auerni, mæsta laruarum manus,
Horrenda macies torridos artus coquit,
Totumque corpus obsitum rugis arat:
Exilis anima, quam nimis tædet sui,
Hæret labellis in suas mortes tenax.
O mucro domini, clude vagina impetum
Quousque sæuis? ANG. *Hactenus paruo est cruor*
Libatus haustu, mucro consumma sacrum.
HIER. *Verende Rector, cælitus vocem audio,*
Adsum profare, quid iubes tantum impera.
ANG. *Aspice quæ cælo veniunt delapsa sereno,*
Et præbe attentas monitis cælestibus aures.
Fare, vides virgam, fatalem in funera virgā?
HIER. *Video coruscis tota luminibus micat.*
ANG. *Tot vigiles oculi Solymæa piacula cernūt:*
Tot patris æterni iugi sacra lumina flamma
Res hominum aspiciunt: Solymæ tot tela coruscāt
In caput, & ludunt tanto sub vindice ludos.
HIER. *Quo se refringet dira telorum Seges?*
ANG. *Nunc age flecte acies, effare quid immi-*
net vrbi?
HIER. *Heu monstra cerno, sulphure indomito*
rubens,

Vndánsque ahenum flãmeum eructat globum.
ANG. *Sic nostra in sontes animos desæuiet ira.*
Sulphuris hi calices miseris, hæc mella parantur.
HIER. *Sator tremẽde, quò piam extendis manũ?*
Tu sancta feries! tu tuas aras, tuos
Lares, colendos tigrium catulis dabis?
Me sume potius vile pro cunctis caput:
Nam cui reseruem spiritum post tot neces?
ANG. *Quid toties lachrymis superum conuexa fatigas?*
Res fatis permitte suis: fletit æmula cælo
Isacidum tellus; nunc debita funera genti
Aeternæ sanxere vices, nunc aurea tecta
Sanguineum in cinerem collapsa mole fatiscẽt:
„ *Vt discant maiora modum, cæliq; fragore*
„ *Palleat intentum capiti gẽs improba fulmen.*
Nec satis, hic Solymæ infelix regnator opimæ
Post varios casus, miseræ post funera gentis
Ductus Achæmenidũ in scelerata palatia Regũ,
Iudicis ora feret diris constrictus ahenis.
Mox dulces animæ natorum in limine vitæ
Occumbent ferro, laceratæ ante ora parentis.
Ipse amens animi, nec tigride mitior orba,
Ah quoties lentam optabit tortoris Erinnym.
Sed frustra, rigido suffossus lumina ferro,

Viuet inops, tenebrarũ hospes, noctisq́; profundæ
„ In mortes viuax, & longi fabula ludi.
HIER. *Actum est, peristi! Sedecia quo me rapis,*
Quibus doloris facibus instinctum coquis?
At hic supinæ mentis oppressus salo,
Deuota cultris victima, atque aris Mithræ,
Ferale sertis aureis ornat caput,
Latéque tendens funeris pompas sui
Prægestit orco, filiorúmque ad rogos
De Veneris aris, leuus! accendit faces.
„ Nec videt ab astris fulmine rubentẽ manum,
„ Sed esse credit stultus! in cælo Deum,
„ Quod noctuarum est sorde perplutus Moloch:
At ecce gemini vultures prædam appetunt.

PHASSVR & ZAREAS HIEREMIAM vaticinantem diuexant.

PHA. *INfame bustũ, perfidũ & vecors caput,*
Nõdum extulisti regia ex aula pedẽ?
HIER. *Phassur, quid egi? quod nouum admisi scelus?*
IAR. *Quid egit, ô dij! dirus impostor rogat?*
HIER. *Si sceptra loqueris, cedo, si pateris, loquor.*
PHASS. *Sic censeo, sic iudico, sic impero.*
HIER. *Indicta causa est.*

PHASS. *Euocas nos ad forum?*
Insane vates, principes cernis tuos.
HIER. *Vbi ius? vbi æquitas? vbi fides principum?*
ZAR. *Tune augurari pergis insanos metus?*
Vates malorum, sæua regnorum lues!
In te refundet vltor hanc pestem Deus.
HIER. *Ego augurari pergo quod numen iubet.*
Solymæ ruentis vltimum fatum venit:
Incensa vertent mœnia Assyriæ manus.
,, *Si cessat ensis Medus, & parcunt viri,*
,, *Si nulla tectis instat hostilis phalanx,*
Surgent locustæ facibus, & ferro graues:
Deus locustas in ferum armabit genus.
Locustæ in vrbe iura victrices dabunt,
Pastæ cruore, Phassur, atque extis tuis.
PHASS. *Deuota furiis anima! sceleratum caput!*
Per astra iuro cuncta cernentis poli.
Nunc te solutis artubus quassum, vltimos
Aegre vomentem spiritus, nexu graui
Animæ implicatum, saucium ferro, face
Semiustulatum, sanguinis fluctu obrutum
Lacerabo, funus auibus abiectum dabo,
Carnisque frusta, & virus incestum feræ
Quos tu minaris, aulici lambent canes.

HIER. Vtinam ferires! præſto ſum, ludis tamē
Exoſe Diuis! patriæ ardentis rogus
Spoliare ſancta poteris, atque illudere
Silere potero? vis colam? vis oſculer?
Dextram madentem cæde genitricis ſuæ?
„ Feri, trucida, velle, lania, ſi lubet.
„ Diſtracta membris membra cum diuulſeris
„ Diſtracta membris membra clamabunt; cruor
„ Bulliet, & ater conſcios ſparget polos.
„ Si vox negatur, ſanguinis riuo meas
„ Pingam querelas, & mouebo cælites.
PHASS. Auferte monſtrum fida bellantū cohors,
Rapite, tenete, nocte tenebroſa obſitum
Sepelite, læuo polluit vultu diem.
Sed ecce Regem, ſiſte ſuſpenſos gradus,
Vt audiamus quid rigor vultus tegat?

SEDECIAS cum filiis.
ZAREAS falſus vates. PHASSVR.

Sed. Rex ad bellum obſtinatus à falſis vatibus decipitur.

ET hic ſtolatus prædo regnorum, meis
Palmis minatur, ſtuppeum fulmen vibrās?

Emancipatus fœminis, Mithræ popa:
Stupidus, iners, eneruis, ignauus latro,
Aliena tentat ſceptra ſacrilega manu?
Vt regna blandis ſordida obſequiis colam?
Vt obſoletis faſcibus, præpoſteros
Mendicem honores ſolis æternus pudor?
Vt ſceptrum adorem quod meæ geſtant manus,
Vmbra, & ſatelles factus Aſsyriæ nurus?
Adeone clauſum mortibus honeſtis iter?
Vel Regem oportet eſſe, vel fatuum. Ebrio
Infuſus oſtro languidum acclinet caput.
Sybarita turpis, perfluat nardo comas,
Grauiſque vino candidos ſoles trahat,
Et me relinquat debitum ſceptris caput.
Hic faſcinatus Metragyrtarum artibus,
Et vrbem, & orbem credulus nugis vorat.
,, At mundus vnus nec duos ſoles ſimul
,, Videre didicit, nec duos Reges capit.
Perimam, aut peribo. Sed fidem obſtrinxi viro.
Regnare neſcit fallere fidem qui timet,
Integra pietas, candor, & ſimplex fides
Priuata decora, rite priuatos decent:
Aſt alia quædam ratio Magnates regit.
O terror orbis, dexteræ fulmen meæ!

Fidelis hasta, præuola fausto impetu.
Da, da scelestum sternere informi nece,
Et tu, cruorem tu nefandum ipsa obbibe,
Tuo sub ictu semiuir stratus, lacer
Sine luce truncus puluerem demordeat.
ABD. FIL. I. *Præclara genitor destinas, Martem iuuat*
Martem ciere classico longùm truci.
Ad arma, ad arma me rapit ferri sitis,
Sanguisque bullit, & micant animi mares:
Date mi lupatis vt ego cornipedem regam
Feruente cursu qui leues superet Notos.
Date mi lacertis præpetes hastas vibrem,
Sternam cruentos gentis impuræ greges,
Vt cum leone flammeo mundus flagrat,
Sub falce densa colla demetitur Ceres.
ARI. FIL. II. *Non sic abibit genitor, hoc tandem tibi*
Aequum videtur, vt meus frater foris
Quærat virentes laureas, sedeam domi?
Et spargo ferrum dextera non debili,
Et maior animus dexterâ spirat decus.
SEDE. *Insane miles, quò ruis? nondum tibi*
Primæua pingit barba vernantes genas.

ARI. *Certare barba non mihi constat, pater,*
Nec sic, opinor, vinceret frater meus:
„ Sed ante barbam Sedeciæ mentem gerunt,
„ Virtusque segnes vrget ætatis moras.
SED. *Puer Diones ignibus formosior,*
Vt irretortis viuidam solis facem
Oculis tueris arma gesturus Deo.
Bene auspicare, & sequere vexillum patris.
PHASSVR. *Adire præstat, sternit hîc numen viam.*
SED. *Phassur, quid affers? expedi, quid nuncias?*
Pacem ne, an arma?
PHASS. *Viue par superum choro*
Magnanime princeps, fausta portendit suis,
Et fata molli stamine euoluit Deus.
Occlusus antro fœdus impostor iacet,
Narratque, si vult, scorpiis nugas leues.
Præsto est Sacerdos excitus iussu tuo.
Cui pura lætis pectora oraclis flagrant.
SED. *Cæli minister proximum superis caput,*
Profare qui nos exitus belli manet?
Nam qui per orbem temperat rerum vices,
Polique habenas prouida inflectit manu

Arcana Diuum pectori credit tuo.
Exprome quicquid gemma fatalis tegit,
Si ſancienda capite ſtat noſtro ſalus,
Oppono cunctis regium telis caput.
„ Fraus eſt tenere regna ni vitam potes.
„ Sacrare patriæ, quiſquis hanc moriens iuuat
„ Geminos relinquit optima teſtes fide
„ Terris cruorem, ſpiritum ingentem polo.
ZAR. *Rex viue lætus, vret Aſſyrias domos*
Hebræus ignis, fata ſic verſant poli.
Iam te triumphis ſydera pauebunt grauem,
Cum pace parta gemmeis pernix rotis,
Mittes in aſtra gloriæ pompas tuæ.
Nunc alta cœli templa voluentem Deum
Vino flagranti, & thure panchæo colam.
Si gemma cordis lumine obtuſo micans
Ingrata triſte luxerit, fatum time.
At ſi vibrati fulguris celſum iubar
Decore vincit aureas cœli faces,
Tu ſorte fauſta ſpes tuas ſartas habe.

Votum ſacrifici.

O qui fulmineas acies, & martia tela
Aeternis regis imperiis, qui fœdera nectis
Bellorum, & lethi poſtes adamante reuincis.

Da faciles, inuicte, vias: da sternere ferro
Chaldæos fastus, stupefactaque corda potentum,
Per strages immitte manus, perque auia Marti
Pande viam, vt celeri nobis victoria curru.
Aduolet, & nimbis, & fulminis ocyor alis.
AR. *Vide vt lapillus floridum emittit decus;*
Vide vt lacessit æmulam solis rotam.
ZAR. *Puer beate germē inuicti patris,*
Age intuere fortis augustæ vices,
Viden flagrantis igneas gemmæ notas?
Age intuere, quid vides?
ARI. *Astra, & Deum,*
Exire cerno, genitor, è cælo Deum.
ZAR. *Perge, intuere, quid vides?*
ARI. *O Zarea!*
Terrere frustra me paras! quorsum volant
Immixta nigris alba furtiuo gradu?
Excessit agmen, purius species fluunt,
Distincta spatiis prospicio castra, & domos
Vrbemque nostram, turrium insurgens apex
Miscetur astris, mænium operosus labor
Stans mole celsa non breuem gyrum illigat.
Collucet alta regiam limen trabe,
Flammasque cælo culmen auratum vomit;

Zareas magus ostēdit in gēma subdolè futuri perplexa simulachra.

Quin ipse reddit patrios vultus lapis,
Pater catenas gestat!
ZAR. *Et recte apparat:*
Nempe has catenas, vincla Chaldæo duci,
SED. *O perge fili, quid vides?*
ARI. *Fratrem meum,*
Meque ipse video.
SED. *Quid facit frater tuus?*
ARI. *Vastâ per aulam rapimur, ô genitor, simul*
Cœnam ad Tonantis, video regificas dapes,
Ardensque in auro nectar.
SED. *O factum bene!*
ARI. *Fulgemus ambo floribus picti comas.*
SED. *Quid genitor interim tuus?*
ARI. *Pater, ô pater!*
Quorsum micantes purpurâ vultus geris?
ZAR. *Color est beatus.*
ARI. *Phassur hîc phassur quoque.*
Instrata colla murice ardenti gerit.
PHASS. *Amplector omen.*
SED. *O sacer meritis parens*
Vt emicanti gaudio pectus salit!
Bene est, abunde est, numinis iussus sequor.
Diues triumphis gloria surgens noua,

Terrisque maior inseram stellis caput.
PHASS. *Beatitates influunt cuncta in sinum:*
Reliquit ipsa Faustitas solium Dei,
Et tota nostris insidet sceptris dea.
Quin iam nitentes laurea vmbrati comas,
Currus citamus aureos festo die,
Venient volucri concita tigres pede,
Venient leones nostra subituri iuga.

CHORVS.

Deflet vrbis calamitatem, & ambitionem malorum ſeminarium deteſtatur.

Non ſemper rapidis ludibrium Notis,
Semper fulmineo ſancia turbine,
Luctatur vitreo marmore nobilis
Syluæ filia pontica.
Poſt triſtes hyadas, poſt rabiem freti,
Pandunt aurifluos verticis ignei
Crines Tyndaridæ, & præpetibus potens
Pennis illa ſecat mare.
Non ſemper pluuio prata madent Ioue,
Sed fœtus liquidis hortulus imbribus,
Alte luxuriat, floribus aureas
Dum Phœbus renouat comas.
Sed nos luctifici nubila temporis,
Brumaliſque rigor perpetuo manet:
Nec ſol purpureis frontis honoribus
Promit flammigerum iubar.
Atram nempe diem ſol premit atrior,
Et fœcunda nouis funera pullulant

Semper funeribus : sic capitum seges
Hydra nascitur improba
Rursus sanguinei bella parant duces,
Mars lymphata ciet pectora turbine:
Dum cæcis animos pascitur ignibus
Crudele ambitio malum.
,, O proles Erebi ! dira lues virûm !
,, O Mater scelerum ! Tænario specu
Emissumne caput promis, & impiam
Belli sæua quatis facem!
,, Regum vestibulis peruigil excubas,
,, Auri sacra fames fida comes tibi:
,, Illic pennigero corpore gestiens
,, Virus spargis amabile.
,, Hoc per triste nefas cæca ruit manus,
,, Et consanguineis læta cruoribus
,, Fratris dextra, tibi (perfida) sanguine
Fraterno litat impie.
,, Aequas Regna solo, funeribus decus
,, Ingens Imperij vertis, & impotens
,, Terræ si teneat sceptra manus, truces
Iactat syderibus minas.
Eheu quo ruitis magnanimi duces?
Quid districta micant æra minacia?

Nobis

Nobis sancta parens patria supplices
Tendit cum lachrimis manus.
Eheu ne pueri dulce decus meum,
Ne matris miseræ carpite viscera,
Inflatos animos ponite; fundimus
Mœstas cum gemitu preces.
Nostris arua tepent ebria cædibus,
Informes & adhuc ossa tegunt agros:
Rursus bella vocant, nulla dabit modum
Nostris hora laboribus.

bis

ACTVS SECVNDVS.

NABVCHODONOSOR cum Principibus.

Insultat hostis perfidiæ, & minatur extrema.

ET se leones prædicant filij lupæ.
Ceruina corda, Veneris effœtum pecus,
Indicta dicta, pacta non pacta adstruunt:
Texunt, retexunt, integrant, condunt, ruunt:
Iurant per astra, peierant: ventus, fides;
Victi rebellant, & rebelles occidunt,
Dein resurgunt semper ad clades nouas.
Ter si resurgant æneæ Isacidum domus,
Ter Medus ensis dirutas sternet solo.
Vbi illa surgit turribus centum ferox
Hirudo sanguine ebria, & diris famem
Satiata dapibus, quæ fretum, & terram, & deos
Complexa, nullum fecit in votis modum:
Hic taminato infausta buboni silexe,
Incendiariis hic erit, & vlulis domus:
Et qua lacessit vertice intonso polum
Carmelus ingens, fœta delitiis plaga:

Nuda cicadæ, Iuro, cantabunt humo.
Et innocentes, & nocentes, quicquid est,
Senes, puelli, fœminæ, infantum greges
Morientur: & si creuerint incendia
Aetnam supra, Lemnon supra, supra inferos,
Tantum cruoris sparget hæc victrix manus,
Vt possit extinguere. Sed ardebunt diù,
Donec perosus Mulciber dicat satis:
Græcus, Sabæus, Aethiops, Macedo, Scytha,
Cinerem cruentum, & busta meretricis bibent,
Læti fauillas deferent illis Noti.
Vt ego supinus sorbeam tantum nefas?
Indigna digna scelera, riualem hybridam,
Verpi secures, simiæ fastus, lucem
Regni, pudorem sæculi, mundi facem,
Bustum meorum? perferam quicquid mali
Hæc officina sceleris in dominos alit?
Non, si quid odia principis Medi valent!
De fæce populi surgit ignauus stolo,
Ad arcem honoris, gemmeis vectus iugis,
Meis in armis fulgurat, ductu meo
Euertit vrbes, occupat Regna, eiicit
Reges, triumphat, laureis vmbrat polos.
Nunc Belus illi fætet, & nomen prius


Cælo verendum, Barbarus ludos facit.
Infida vulpes in suum ludit caput.
Iam vulsa sede Solyma dat victas manus,
Nobisque pestis militat, nobis fames.
Vrbs illa nuper gentium spoliis grauis,
Opulenta furtis, machinatrix facinorum,
Iam quassa belli turbine, atque expers sui,
Trahit ruinas dum semel nescit mori.
Restat catenis implicatum ferreis
Cernere Tyrannum: iubeo sic fieri placet.
Vbi est Seregel? acer obserua fores,
Tentaque si quid effici hoc noctis potest.

SEREGEL Dux solus agit fulminastrum.

ACTVS SECVNDVS.

ÆQuale cælo pondus, & radiis vibrans
Gradior ahenis, vltimus mundi stupor.
Quæ prima terris Matris ex vtero dies
Me fudit, eadem palluit fœtus suos,
Et sol pauentes egit alipedes retrò.
Humeris Gradiuus nec mora illapsus meis,
Pallas sinistro bracchio, dextro Hercules,

Atlas in imis cruribus fixus stetit,
Totos per artus Iupiter sese vagus
Effudit in me, totus hinc spiro Iouem.
Pro lacte stillas sanguinis duxi puer,
Bellona sic me nutriit, cunæ mihi
Clypei fuère, lanceæ crepundia.
Cum similis astris rapior, excussi tremunt
Manes profundi, sydera albescunt metu:
Longum fragoso terra mugitu fremit,
Rumpunt abortus fæminæ, fugitant viri,
Cadunt volucres, stant Noti, pontus silet.
Aequata cælo templa disieci solo,
Arces superbas pedibus obtriui ferox:
Vrbesque pepuli mole collapsas graui.
Nunc illa Solyma laudis est nostræ seges:
Iam iam tremiscit, tota iam nutat, cadit
Vel voce sola. Victimas dudum parat,
Vouetque Auerno durus hic ferri rigor.
Pugnare gestit dextra, sed nemo obuius,
Latent recepti mænibus pauidi, abditi,
Ceu cùm per alta nemora Marmaricus leo
Sæuo comantes incutit collo iubas,
Imis sub antris capreas sternit pauor.
Prodite ad arma, vel statim muros ruam



Vestrosque colles sede diuulsos sua
Rapiam per auras, funditus tandem eruam
Quicquid probrosi est sanguinis. Cuncti tremūt
Frustra lacesso vocibus cælum parem
Natura nobis; nec dedit, dare nec potest.
Igitur quiescam, ni sopor quoque me timet,
Nec audet oculis timidus allabi meis.

SEDECIAS REX.

ELEAZAR, & AZARIAS duces.

De pugna, & Seregelis comprimenda ferocia deliberant.

Sedecias hæc ex arce.
ARma, arma socij, gloria metas cruor
Signat decorus, arguit pigros met⁹.
Arma, arma socij, castra iam passim meis
Lucere tædis; fremere iam pilis amant
Si deses anima languet ignauo gelu,
Et nundinatur dedecus emaci prece.
Manete clausi mœnibus, solus tamen
Ibo, Ibo in hostem, fortiter didici mori.
ELEAZ. *Siccine Colossus impias iactat minas,*
Hæc ad portas vrbis.
Et castra diris fulminat, dum nos pigra
Glacie rigemus? gentis heu nostræ pudor!

Heu prisca virtus! heu sacri cineres patrum!
Adeóne honoris limen obstruxit metus?
Mihi medullis æstuat totis dolor;
Consciaque virtus nescio quid altum iubet.
Stat vindicare peruicax ferro nefas:
Stat expiare nominis labem inclyti.
Quòd si ruentis patriæ fatum venit,
Et præpotentis hoc Dei sanxit manus,
Testor rubentis conscios ignes poli,
Testor meorum busta, queis luxi faces.
Non ibo inultus, gloriæ illustres notas
Signabit ensis, & trophæorum decus,
Saliente vena prodigus tinget cruor.
AZAR. *Etiamne spreto fratre per mortes ruis?*
Miser! quid egi? quod meum est tantum scelus?
Vt me relinquas pondus ignauum soli,
Dum per cruenta prælia, & sparsas faces
Ambis coronas immemor prorsus mei?
Sed corde bullit sanguis, & lucis malæ
Contemptor animus per neces rumpit viam.
Nec adeo nobis Martis inuisus fauor,
Nam spargo tela puberis dextra impetu,
Pressis habenis flecto sternaces equos,
Gladiumque rapido turbine immanem roto.

Et si fidelem postulas, nosti fidem.

ELEAZ. *Pretiosa Diuis anima, quò tendis gradus?*
Germane noui spiritus acrem impetum,
Noui calorem: nec tuam incuso fidem:
Sed me misertum oportet ætatis tuæ.
Tibi prima flauas barba vix pingit genas,
Crescitque virtus flore primæuo decens;
Multos in annos crescat in gremio patris.
Quid fata properas? quò tui florem rapis?
Te digniorem spiritu hæc ætas facit.
Decerpe cæli munera, & diuis sacros
Impone honores, dum per annorum gradus
Felix iuuentas aureum promit decus.
Deinde ille senio genitor, & morbis grauis
In te recumbit, mite dum superest, onus
Pignusque natis: non fodit pectus tuum?
Non te senilis excruciat animæ dolor?
Quo scelere, frater, meruit infelix parens,
Vt semiuiuus in tuum tandem rogum
Trudatur? Illi sic rependuntur vices.
Absiste pugna, frater, & tutus sine
Me solum obire quicquid est hic aleæ:
Si quid sinistrum (hoc omen auertet Deus)

Reddes amico funeri extremum decus.
ASAR.*Caussas inanes nectis, est Azarias*
Tecum paratus viuere, & tecum mori.
SED.*O lecta corda, sanguinis prisci decor!*
Ite, ite fortes quo Dei Numen vocat,
Ite, expiate crimen infandum soli.
Ego, si quid astra, & cælites curant pios,
Et astra cæli, & cælites supplex rogo,
Vt ista pietas vigeat æterna face.
Dein fata, si me cedere hac vita volunt,
Et mihi cometæ crine sanguineo rubent:
Hoc prorogari postulo lucis mihi,
Quod huic rependam strenuo fratrum pari.
Sic demum auaram sanguinis parcam lubens
Explebo, postquam fecero cunctis satis.
ELEAZ.*Mitte ista Princeps, ruim⁹ auspiciis tuis,*
Quò nos sonoræ concitant Martis faces
Inueniet ensis fidus, aut faciet viam:
Sed vna tantum cura sollicitat duos.
Est fessus annis, fractus & morbis pater,
Nomen verendum filiis, quem sors grauis,
Post tot sequaces funerum cumulos, cui
Scenæ reseruat nescio. Tantùm precor
Hic si superstes liberis, præposteros

Extrudit annos pendula Lachesis colo,
Solare curas, & grauem ætatis moram
Pietate dulci mitiga.
SED. *O flammæ poli!*
Et sancta pietas! Principum illustris loco
Regali in aula figet emeritum pedem,
Semper verendus patriæ, natis, mihi.
AZAR. *Bene est, eamus quà viã monstrat Deus.*

NVNCIVS.

Exercitum & pugnæ apparatus describit.

PRoperate, quando prodigus vitæ calor
Per densa mittit funera audaces manus.
Paratus hostis, gloriæ longa est seges,
Campo stat agmen Marte conferto horridum,
Armis coruscum, & luce purpurea nitens:
Surgunt cohortes corporum mole arduæ,
Quas cristæ inumbrant, quassa vibranti Noto
Vexilla strident, sæuus irradiat polos
Fulgor minores ferreum eructans diem.
Frænum impotentes aureum mandunt equi,
Martemque fausto proximum hinnitu vocant.
Hîc ille Seregel barbaro fastu tumens
Bellum lacessit propius, & vallo incubat.

Antevolat agmen vertice comanti inclytus,
Et dudum atroces voluit in cælum minas.
ELEAZ. *Hæc singularis pugna nos frater vocat,*
Age irruamus, diriget dextram Deus.
NVNC. *Abeunt citato feruidi in pugnas gradu,*
Quales ab alto colle stellares ruunt Duo fratres cõparantur cum stellaribus Aquilis.
Aquilæ fragoso turbine, & volucres Notos
Anteire pennis gestiunt, crebris micant
Asspersa stellis corpora, & lucem euibrans
Maculosus auro terga dispungit decor.
Tum grande Tauri corpus audacis petunt,
Qui fronte rupta cornibus, telum ferox
Obtendit hosti, nec minor pugnam occupat.
Instant volatu præpeti armigeri Iouis,
Crebroque morsu vellicant tunsum caput,
Et vngue curuo sauciam eradunt cutem.
Natat per armos pecudis effusus cruor,
Furiatque dirus pectus incensum dolor;
Mox se per alta nemora, & horrentes quatit
Latebras, sequuntur percitum Asteriæ leues.
Postquam voluti puluere in medio, graui
Sparsere pennas nube, tum capiti insident
Tauri fugacis, ventilant alas leui
Iactu micantes, lumina excæcant, agunt

Per tesqua cæcum pondus, instigant, rotant,
Donec reducta sepserint valle abditum,
Auidoque opimam fecerint ventri dapem.
Sic gemina fratrum capita per cāpum volant,
Et nunc gigantis impetunt ferro latus;
Quis fremitus aures perculit? nempe illicò
Pugna incalescit, conserunt manibus manus,
Attrita gladiis pondera armorum sonant,
Flictuque ferri flammulæ absistunt leues:
Res magna geritur, clamor insurgit polo.
Arma, arma, totis buccinæ castris sonant.
Arma, arma, ferri longa crispatur seges,
Per saxa, & ignes gladius abrumpit viam.
Eum trisulcis ocyus facibus Iouis,
Mucrone vastos militum fundunt globos,
Cruore pingui perliti manant agri,
Et sparsa latè membra prætexunt vias.
Eamus ergo, quà truces gladij micant,
Quà torua Erynnis spargit alatas faces,
Emitur cruore gloriæ illustris decor.

CHORVS.

Vrbis ſtrages deflet.

Solymæ matris nobile germen,
Solue capillos inclyta Pubes,
Lachrymis madidos prolue vultus,
Lacera niueis pectora palmis.
Flebile bellum! ſcelerata tonant
Claſsica rauco murmure Martem.
Iam ſanguineis Bellona feris,
Vaga per medios equitat campos,
Piceo geſtans lumine tædam.
Iam Rex animans ad bella truces
Acies, curru volat indomito,
Et terrificam viuida quaſſat
Aegida Babylon. Tremebunda mihi
Pectora pulſat pauor attonitus,
Mens horreſcit concuſſa malis.
Cernite campis vndare viros,
Vt caſtra vomunt peditum nubes
Sæuo vt radiant ære cateruæ.
Non denſa micant ſic aſtra polo,
Cum flammigerum Phoſphoros agmen

Agit, & fuluis, pernox facibus
Iupiter ardet.
Miser exanimor, perimor socij,
Strepitus nostras peruolat aures.
Arma cruenta crepitant dextra,
Tela minaci turbine strident.
Vt Sithonios nix spargit agros,
Sic densa ruit per inane volans
Ferrea nubes.
Heu strage cadunt corpora fœdâ!
Numerosa vomit turba natantes
In purpureo flumine vitas.
Nunc victor ouat, sed ouans victi
Vulnere stratus, sociam iungit
Animam letho, gemina nocte
Ferreus vrget somnus ocellos,
,, Alea Martis dubiis nutat
,, Casibus, & cæcum carpit iter
,, Nescia sortis quam nocte Deus
,, Obscura premit. Arbiter æquâ
,, Temperat vnus omnia lance.

ACTVS TERTIVS.

ROHEG PASTOR

Vrbis casum luget: fugientes per solitudinem excipit.

„ VT celsa duris casibus latè ruunt!
„ Heu busta Solymæ vidimꝰ nihilest, nihil
„ Quod fors volucri rapida non verset rota:
At nunc vt altis quercus assurgens comis
Regnata tenuit nemora non paruo ambitu,
Vmbra minorem nobili plebem tegens:
Sed mox fremente obsessa cadentium globo,
Crebra bipenni tunsa nodosum pedem,
Quam sæpè lapsu dubia quò rueret stetit.
Tandem supr emum vulnere impresso labat,
Ponitque syluis longa frondosum caput,
Ingens fragore fulminans vasto nemus,
Signatque sese funeris pompa sui.
Illic volantum parua malefido cohors
Commissa trunco, luget amissos lares,
Et spes parentum primulas, quas hæc suo

Cingens sepulchro perdidit fato pari.
Sic Solyma longis quassa bellorum minis
Luctata cœlo brachia, & celsas opes
Versas ab imo culmine afflixit solo,
Latéque damnis fusa nobilibus iacet.
Nos parua magnæ naufragia sequimur domus
Vno sepulti funere. Ast vnde hic eques
Primaque vernans pube se Iuuenis rapit?
Hic fronde tectus quid velint aure obbibam.

DEBIR armiger. ARIEL minor natu Regis filius, captâ vrbe fugiunt: latent Rohegis operâ.

Occidimus omnes, hora fatalis ruit,
Habetque muros hostis. & potitur solo.
Iam spargit ignes, intonat, cædit, furit,
Iam Solyma telis quassa submisit caput,
Afflicta dudum, & dubia quò pondus daret.
Vt æstuanti sæua tempestas freto
Victis habenis fertur, & nimbos agens
Deprœliantes iungit Aquiloni Notos:
Illi reuulsum sedibus ab imis mare
Emoliuntur, aggerant montes aquis
Lacerasque

Lacerasquè longo fragmine euerrunt rates.
Tum per sonores, per nigri furias poli
Ruinæ coruscant nubium sæuo die:
Collucet vnda vertice ignifero fremens,
Concorsque iungit æquori flammam mare.
Talis per alta nubila & strages volat
Assyria victrix, dira bacchatur phalanx
Bellantum; & vrbem cæde fumantem rapit.
Nox atra pennis abditum inuoluit diem,
Per densa noctis funerum volitat cohors.
Tùm multà passim corpora occurrunt neci,
Et vnde pereant nesciunt, pereunt tamen.
Oculis requirunt lumen, & nullum micat,
Nisi quod malignæ lucis accendit vapor
Flagrante patriâ: tam supinæ ardent faces
Tot insepultis ciuibus! lethi artifex
Per varia mortis genera se fundit manus,
Est, qui sopori iungat extremum inscius
Lethes soporem, carnifex alium metus
Necat ante vulnus, occupant alij fugam,
Sed missa arundo spiritum hærentem tenet.
Miscuit aceruos corporum cæcus furor,
Filij in cruore mortuus genitor natat,
Et paruus infans reptat ad matris pedes

Vber requirens mortuæ, letho applicat
Vix gnara lucis ora, nam obsedit cruor
Fontem beatum lactis, & vitæ latex
Fit vena mortis. Omnibus votum est mori,
Sed mors negatur, virginum florem inclytum
Victrix libido in victimam legit sibi.
Nos parua querimur: adyta sacrorum intima,
Illa, illa Solymæ templa vix castra prius
Libata luci cæde sacrificum madent.
Ordo infulatus sanguine effuso suas
Aspergit aras, pectori ferrum insidet
Moriensque lingua tentat extremas preces.
Congesta decora per tot annorum gradus
Depascit ardor, nec auidas prohibet manus
Diripitur ignis, ne qua pars furto vacet.
ARIEL. *O sol, & astra, consciæ mundi faces!*
Quò me tenellum rapitis? ad quas neces?
Hoc si reposcit vrna fatalis caput,
Et mors cruentos admouet talos sequax,
Hîc innocentem spiritum effundam lubens,
Vbi prima lucis pabula exhausi puer.
Sæuæ minister sortis, & socius mei
Nunquam occidentis, semper vrgentis mali,
Quas me latebras quærere misellum iubes?

Satis superque viximus, fessus traho
Impube corpus, per tot vmbrarum domos,
Terrore plena nemora, & horrentes specus,
Tandem perosum lumen acclinans caput
Ista sub vlmo, Ditis inueniam vias.
O sancte genitor, quis tibi mortis meæ,
Quis pronolabit nuncius? Dulcis parens!
Quis tibi cadauer filij reddet sinu?
Egóne inhumatum funus, exosum polo,
Lupis, vel vrsis præda donabor! Debir
Sine me, reuellam lucis inuisæ moras.
DEB. *O cara diuis anima! quorsum me enecas?*
Quorsum doloris pectore accendis faces?
Vt te relinquam corpus abiectum feris?
O sancti amores Regis! ô dextra! ô fides!
Meliora quæso, scande ceruicem meam,
Non grande nobis restat ad caulas iter.
Sed ego per vmbras video pacificum senem.
O si qua niteat rebus accisis salus!
ROHE. *Quæ vox ad aures fusa manauit meas?*
Agnosco Regis filium. O diuûm fidem!
Animula dulcis, debitum Regnis caput,
Quò te per altas funerum strages rapis?
DEB. *Quò summa rerum venit, ô Roheg, vides:*

Extrudit annos pendula Lachesis colo,
Solare curas, & grauem ætatis moram
Pietate dulci mitiga.
SED. *O flammæ poli!*
Et sancta pietas! Principum illustris loco
Regali in aulá figet emeritum pedem,
Semper verendus patriæ, natis, mihi.
AZAR. *Bene est, eamus quà viã monstrat Deus.*

NVNCIVS.

Exercitum & pugnæ apparatus describit.

PRoperate, quando prodigus vitæ calor
Per densa mittit funera audaces manus.
Paratus hostis, gloriæ longa est seges,
Campo stat agmen Marte conferto horridum,
Armis coruscum, & luce purpurea nitens:
Surgunt cohortes corporum mole arduæ,
Quas cristæ inumbrant, quassa vibranti Noto
Vexilla strident, sæuus irradiat polos
Fulgor minores ferreum eructans diem.
Frænum impotentes aureum mandunt equi,
Martemque fausto proximum hinnitu vocant.
Hîc ille Seregel barbaro fastu tumens
Bellum lacessit propius, & vallo incubat.

Antenolat agmen vertice comanti inclytus,
Et dudum atroces voluit in cælum minas.
ELEAZ. *Hæc singularis pugna nos frater vocat,*
Age irruamus, diriget dextram Deus.
NVNC. *Abeunt citato feruidi in pugnas gradu,*
Quales ab alto colle stellares ruunt Duo fratres cōparantur cum stellaribus Aquilis.
Aquilæ fragoso turbine, & volucres Notos
Anteire pennis gestiunt, crebris micant
Aspersa stellis corpora, & lucem euibrans
Maculosus auro terga dispungit decor.
Tum grande Tauri corpus audacis petunt,
Qui fronte rupta cornibus, telum ferox
Obtendit hosti, nec minor pugnam occupat.
Instant volatu præpeti armigeri Iouis,
Crebroque morsu vellicant tunsum caput,
Et vngue curuo sauciam eradunt cutem.
Natat per armos pecudis effusus cruor,
Furiatque dirus pectus incensum dolor;
Mox se per alta nemora, & horrentes quatit
Latebras, sequuntur percitum Asteriæ leues.
Postquam voluti puluere in medio, graui
Sparsere pennas nube, tum capiti insident
Tauri fugacis, ventilant alas leui
Iactu micantes, lumina excæcant, agunt

Per tesqua cœcum pondus, instigant, rotant,
Donec reducta sepserint valle abditum,
Auidoque opimam fecerint ventri dapem.
Sic gemina fratrum capita per cāpum volant,
Et nunc gigantis impetunt ferro latus;
Quis fremitus aures perculit? nempe illicò
Pugna incalescit, conserunt manibus manus,
Attrita gladiis pondera armorum sonant,
Flictuque ferri flammulæ absistunt leues:
Res magna geritur, clamor insurgit polo.
Arma, arma, totis buccinæ castris sonant.
Arma, arma, ferri longa crispatur seges,
Per saxa, & ignes gladius abrumpit viam.
Eum trisulcis ocyus facibus Iouis,
Mucrone vastos militum fundunt globos,
Cruore pingui perliti manant agri,
Et sparsa latè membra pretexunt vias.
Eamus ergo, quà truces gladij micant,
Quà torua Erynnis spargit alatas faces,
Emitur cruore gloriæ illustris decor.

CHORVS.

Vrbis ſtrages deflet.

SOlymæ matris nobile germen,
Solue capillos inclyta Pubes,
Lachrymis madidos prolue vultus,
Lacera niueis pectora palmis.
Flebile bellum! ſcelerata tonant
Claſsica rauco murmure Martem.
Iam ſanguineis Bellona feris,
Vaga per medios equitat campos,
Piceo geſtans lumine tædam.
Iam Rex animans ad bella truces
Acies, curru volat indomito,
Et terrificam viuida quaſſat
Aegida Babylon. Tremebunda mihi
Pectora pulſat pauor attonitus,
Mens horreſcit concuſſa malis.
Cernite campis vndare viros,
Vt caſtra vomunt peditum nubes
Sæuo vt radiant ære cateruæ.
Non denſa micant ſic aſtra polo,
Cum flammigerum Phoſphoros agmen

Agit, & fuluis, pernox facibus
Iupiter ardet.
Miser exanimor, perimor socij,
Strepitus nostras peruolat aures.
Arma cruenta crepitant dextra,
Tela minaci turbine strident.
Vt Sithonios nix spargit agros,
Sic densa ruit per inane volans
Ferrea nubes.
Heu strage cadunt corpora fœdâ!
Numerosa vomit turba natantes
In purpereo flumine vitas.
Nunc victor ouat, sed ouans victi
Vulnere stratus, sociam iungit
Animam letho, gemina nocte
Ferreus vrget somnus ocellos,
,, Alea Martis dubiis nutat
,, Casibus, & cæcum carpit iter
,, Nescia sortis quam nocte Deus
,, Obscura premit. Arbiter aequâ
,, Temperat vnus omnia lance.

ACTVS TERTIVS.

ROHEG PASTOR

Vrbis casum luget: fugientes per solitudinem excipit.

„ VT celsa duris casibus latè ruunt!
„ Heu busta Solymæ vidim⁹ nihilest, nihil
„ Quod fors volucri rapida non verset rota:
At nunc vt altis quercus assurgens comis
Regnata tenuit nemora non paruo ambitu,
Vmbra minorem nobili plebem tegens:
Sed mox fremente obsessa cadentium globo,
Crebra bipenni tunsa nodosum pedem,
Quam sæpè lapsu dubia quò rueret stetit.
Tandem supr emum vulnere impresso labat,
Ponitque syluis longa frondosum caput,
Ingens fragore fulminans vasto nemus,
Signatque sese funeris pompa sui.
Illic volantum parua malefido cohors
Commissa trunco, luget amissos lares,
Et spes parentum primulas, quas hæc suo

Cingens sepulchro perdidit fato pari.
Sic Solyma longis quassa bellorum minis
Luctata cælo brachia, & celsas opes
Versas ab imo culmine afflixit solo,
Latéque damnis fusa nobilibus iacet.
Nos parua magnæ naufragia sequimur domus
Vno sepulti funere. Ast vnde hic eques
Primaque vernans pube se Iuuenis rapit?
Hic fronde tectus quid velint aure obbibam.

DEBIR armiger. ARIEL minor natu Regis filius, captâ vrbe fugiunt: latent Rohegis operâ.

OCcidimus omnes, hora fatalis ruit,
Habetque muros hostis. & potitur solo.
Iam spargit ignes, intonat, cadit, furit,
Iam Solyma telis quassa submisit caput,
Afflicta dudum, & dubia quò pondus daret.
Vt æstuanti sæua tempestas freto
Victis habenis fertur, & nimbos agens
Deprælian tes iungit Aquiloni Notos:
Illi reuulsum sedibus ab imis mare
Emoliuntur, aggerant montes aquis
Lacerasque

Lacerasque longo fragmine euerrunt rates.
Tum per sonores, per nigri furias poli
Ruinæ coruscant nubium sæuo die:
Collucet vnda vortice ignifero fremens,
Concorsque iungit æquori flammam mare.
Talis per alta nubila & strages volat
Assyria victrix, dira bacchatur phalanx
Bellantum, & vrbem cæde fumantem rapit.
 Nox atra pennis abditum inuoluit diem,
Per densa noctis funerum volitat cohors.
Tùm multa paßim corpora occurrunt neci,
Et vnde pereant nesciunt, pereunt tamen.
Oculis requirunt lumen, & nullum micat,
Nisi quod malignæ lucis accendit vapor
Flagrante patriâ: tam supinæ ardent faces
Tot insepultis ciuibus! lethi artifex
Per varia mortis genera se fundit manus,
Est, qui sopori iungat extremum inscius
Lethes soporem, carnifex alium metus
Necat ante vulnus, occupant alij fugam,
Sed missa arundo spiritum hærentem tenet.
Miscuit aceruos corporum cæcus furor,
Filij in cruore mortuus genitor natat,
Et paruus infans reptat ad matris pedes

Vber requirens mortuæ, letho applicat
Vix gnara lucis ora, nam obsedit cruor
Fontem beatum lactis, & vitæ latex
Fit vena mortis. Omnibus votum est mori,
Sed mors negatur, virginum florem inclytum
Victrix libido in victimam legit sibi.
Nos parua querimur: adyta sacrorum intima,
Illa, illa Solymæ templa vix castra prius
Libata luci cæde sacrificum madent.
Ordo infulatus sanguine effuso suas
Aspergit aras, pectori ferrum insidet
Moriensque lingua tentat extremas preces.
Congesta decora per tot annorum gradus
Depascit ardor, nec auidas prohibet manus
Diripitur ignis, ne qua pars furto vacet.
ARIEL. *O sol, & astra, consciæ mundi faces!*
Quò me tenellum rapitis? ad quas neces?
Hoc si reposcit vrna fatalis caput,
Et mors cruentos admouet talos sequax,
Hîc innocentem spiritum effundam lubens,
Vbi prima lucis pabula exhausi puer.
Sæuæ minister sortis, & socius mei
Nunquam occidentis, semper vrgentis mali,
Quas me latebras quærere misellum iubes?

Satis ſuperque viximus, feſſus traho
Impube corpus, per tot vmbrarum domos,
Terrore plena nemora, & horrentes ſpecus,
Tandem peroſum lumen acclinans caput
Iſta ſub vlmo, Ditis inueniam vias.
O ſancte genitor, quis tibi mortis meæ,
Quis pronolabit nuncius? Dulcis parens!
Quis tibi cadauer filij reddet ſinu?
Egóne inhumatum funus, exoſum polo,
Lupis, vel vrſis præda donabor! Debir
Sine me, reuellam lucis inuiſæ moras.
DEB. *O cara diuis anima! quorſum me enecas?*
Quorſum doloris pectore accendis faces?
Vt te relinquam corpus abiectum feris?
O ſancti amores Regis! ô dextra! ô fides!
Meliora quæſo, ſcande ceruicem meam,
Non grande nobis reſtat ad caulas iter.
Sed ego per vmbras video pacificum ſenem.
O ſi qua niteat rebus acciſis ſalus!
ROHE. *Quæ vox ad aures fuſa manauit meas?*
Agnoſco Regis filium: O diuûm fidem!
Animula dulcis, debitum Regnis caput,
Quò te per altas funerum ſtrages rapis?
DEB. *Quò ſumma rerum venit, ô Roheg, vides:*

Hausta est sub vndis Solyma, nunc latè trahit
Fragmina per æquor lacera naufragij sui.
Hanc tu tabellam conde, si poßis, sinu.
Miserere nostri, per tuos canos, pater,
Serua hoc labantis dulce depositum domus.
ROH. *Proh fatum acerbum! furta perplexa imperas,*
Sed grata furta. Natus hic regnis. Puer
Viuat cruore si potest, saluus meo.
Sed nos procellæ ferreæ circumtonant,
Totaque sæuit Martius sylua furor.
Quid facere possum perditus, Debir, vides.
Mihi restat vnus filius patris comes,
Aetate Domino, penè pubescens pari,
Huius ego si vis vestibus Regem induam,
Et si per arma militum occurrat phalanx,
Ne fortè prodat Regius Regem decor,
Illum cruore perlitum cæsi bouis,
Et ora rubris pulchra fœdatum notis,
Dicam peremptum militis sæua manu,
Quò dura frangam corda Chaldæi ducis
DEB. *Rectè indicasti.*
ARI. *Quas mihi ærumnas paras?*
Num satius esset vnica plaga mori?

DEB. *Obsecro verendas per tui curas patris,*
Per suaue nomen matris, & genium tuum.
O Dulce germen, innocens serua caput.
ROH. *Securus esto, Debir, in tuto est puer.*
Nunc tu per arcanos sequere calles viam:
Ambo praimus sospites.
ARI. *Debir, vale,*
Et si potes fac resciat totum hoc pater.
ROH. *Vnde hoc fragore personat tanto nemus?*
Fili propinquant milites. Age nunc humi
Prosterne corpus, te mea veste obtegam,
Tingam cruoris flore liuentes genas,
Sed tu caueto mutias.
ARI. *Faciam vt iubes.*

NABVZARDAN & Chaldæi Milites à ROHEGE eluduntur.

NABVZAR. A*D'este socij, rupit hac plagas aper;*
Hic inter altos militum sparsus globos,
Inter cruentum puluerem, & ferri minas,
Dare terga vidi perditum Regem: Timet

Horrétque rutilis fulgidum telis iubar.
O si veniret nobilis præda in manus,
Vt me trophæis læta cumularet dies!
Age persequamur, æstuant animi mares,
Et igne toto corda Bellonæ flagrant.
ROH. *Dilecte fili, loquere supremum mihi,*
Da mihi tepentes halitus oris legam,
In te vicissim spiritum effundam meum.
NABVZAR. *Vnde ille densa fœdus illuuie senex?*
Et vnde acerbi funeris fatum gemit?
ROH. *Ego vos per astra, si quid est cælo pium,*
Per orbitatis vulnus obtestor meæ,
Iungite parentem filio, puero senem,
Quid enim senile pondus hoc cælum grauo?
NABVZ. *Profare luctus, quid gemis? perge, indica.*
ROH. *Nate occidisti, nate miserandum caput!*
Heu quo doloris vortice absorptus feror?
NABVZ. *Quis hunc peremit?*
ROH. *Sæua latronum phalanx,*
Hoc dum pererrat innocens pastor nemus.
Et nunc cadauer filij porto sinu,

Tentóque ſi quâ ſepeliam miſerum viâ.
Sed nos laceſſunt eminus telis viri,
Nec licet humare mortuum. Infœlix Lada,
O cara ſoboles, parua telluris tibi
Portio negatur mortuo. ô luctus meos
NABVZ. *I, perge, ſepeli filium, per me licet.*
ROH. *Habent, peractum eſt, ſurge nunc fili obſecro,*
Caulas petamus ocyùs noſtram domum,
Fuge, fuge, talos admouet nobis eques.

SEDECIAS fugit per ſolitudinem ſummâ rerum deſperatione.

TONATE *cœlo ſydera, & rupto ſemel*
Crepate mundo, trahite vobiſcum polos,
Polos, & axes, & relucentes globos.
Refixa ſede numina, & mundus labans,
Per capita noſtra, & funerum ſtrages ruat.
Nimis minantur aſtra, feriant quà volent.
Si magna ceruix petitur, en magnam offero,
En nudo pectus funeris magni capax:
En irretorto lumine per ignem, & faces,

Et per coruscos fulminis iactus feror.
Tantum ruinâ cadere generosâ iuuat,
Toto perire mundo, & instrato tegi
Mundo sepultum. Proh ferax luctus dies!
Quis hic locus, quæ regio, quò tandem vagor
Salutis expers, æger, afflictus, miser?
Redeamus anime, busta qua Solymæ flagrant,
Cælumque piceus noctis obducit vapor.
Desertor anime, sanguinis riuo tui
Extingue flammas patriæ, & errantes riga
Vmbras tuorum, conscios testor polos,
Lustrale volui reddere hoc tenebris caput,
Nati obstitistis, tu mei consors thori
Tu restitisti: genitor & coniux fui:
Eripere flammis maximam partem mei
Quondam decebat, irritus cessit labor,
Hac me reliquit, membra præmisi neci,
Euisceratus, turpis, excisus, lacer
Spelæa lustro, Tigrium dignus comes,
Indignus aula; fare quid portas noui?
Expone cuncta, totus assueui malis.
Regina salua est?
PHASS. *Nescio. Tantum ferunt*
Vrbe extulisse concitum incensa pedem.

Dum te per alta nemora, & hostiles globos,
Heu fida coniux, coniugem sequitur. SED. *Perij,*
Actum est, in hostes incidit fidum caput.
Susanna dulce nomen! hoc solum mihi
De te relictum est. Nomen hoc solum meis
Hæret labellis, cætera fugax mors tulit.
Susanna dulce nomen! ô celsæ iubar
Illustre frontis, siderum ô geminæ faces
Dulces ocelli, ô candidi colli niues,
Rosisque mixta labra, & hyblæis fauis,
Vt scelere vos nefario perdo, obruo,
Laudatus ille vir maritæ exspes facis!
Et viuo sceleris author, & montes quatit
Deus!
PHASS. *Vt habenis rapitur excussis dolor.*
SED. *Susanna dulce nomen! hei misero mihi!*
Cur te reliqui barbari spolium ducis?
Cur te reliqui belluæ prædam feræ?
Quis hoc cruore Sæuus intepuit mucro?
O pestis Erebo nata! luctificum scelus!
Mei pudicum solis extinxi iubar:
Si restitisses, potuit hoc radiis tuum
Furiale lumen stringere, & dextram trucem
Hebetare, quamuis corde bulliret furor.

Susanna ditis incolit tristes domos,
Et vino crimen sæculi, lucis pauor!
PHASS. *Frena dolorem si potes, forsan tibi*
Susanna viuit, & viget.
SEDE. *Nugæ meræ.*
PHASS. *Est sæpè mendax fama.*
SED. *Sunt nugæ meræ.*
PHASS. *Audi.*
SEDE. *Molestus es mihi.*
PHASS. *Quid hoc est?*
SEDE. *Amor.*
PHASS. *Furor est.*
SEDE. *Furorem furere me patere, atq; abi.*
PHASS. *Desipere Regem non decet.*
SEDE. *Nimium sapis*
Phassure, amanti.
PHASS. *Sapio quod sapere addecet.*
„ SEDE. *Sapere & amare vix Deo conceditur.*
„ PHAS. *Sapere, & amare quisquis est sanus potest.*
SED. *Lues, vorago sanguinis, scelerũ artifex,*
Vtinam cruore potus emorerer tuo!
Susanna dulce nomen! hei misero mihi!
Quid coniugalis pignus hoc sanctum thori,
Et occiderunt liberi?

PHA. *Ah demens furor!*
Malè ominaris.
SED. *Omen hoc verum est nimis.*
O nigra fata! sæua! miseranda! impia!
Lux vna nobis abstulit famam, decus,
Imperia, populos, liberos, sponsam, thoros.
Ex Rege, & aula, liberis, sponsa, thoris,
Hæc sola restant arma, quæ nunc indui.
Quò criminosæ mentis extendo scelus?
Ignaue morere; spiritum ferro eripe.
Phassur, doloris conscium pectus mei,
Largire Domino munus extremum.
PHAS. *Quid est?*
SED. *Quod facere debes vt mihi obstrictus fide.*
PHASS. *Faciam dolorem si modo leuarit tuum.*
SED. *Omnes dolores eluet.*
PHASS. *Faciam, quid est?*
SED. *Facies?*
PHASS. *Lubenter.*
SED. *Fortiter?*
PHASS. *Dubitas?*
SED. *Age.*
Impone fidam pectori nostro manum.
PHASS. *Impono, quid tum? perge, quid tandē iubes?*

SED. *Iura per istud pectoris sacrarium,*
Per sancti amoris semper accensas faces,
Te præstiturum.
PHAS. *Perge Rex, quid vis?*
SED. *Fidem.*
PHASS. *Iuro hoc amoris numen, atq; aram mei.*
Iuro per ista sidera, & genium tuum,
Me præstiturum, perge, nunc, Rex indica.
SED. *Age, fige gladio pectus ærumnis graue.*
Nam cui reseruem spiritum execrabilem?
PHASS. *Crudele dictum! quod tibi verbum excidit?*
Vt me cruore taminem impurus tuo!
O Sol & astra!
DEBIR. *Quis mihi Regem indicet?*
Si fors pererrat nemoris vmbrosas domos.
PHASS. *Bona verba quæso, saluus est nobis Debir.*
DEB. *Regemne video?*
SED. *Fare quid portas Debir?*
DEB. *Regina viuit, tenu't incolumis fugam*
Medios per hostes. gemina se matri applicat
Proles, & vnum lumine incerto Patrem,
Patrem requirit, busta per patriæ inuocat

Nomen parentis. Sed tu, inexpletus ruis
Per campum, & arma, & cæde fumantes globos,
— *Cui Rex reſeruas optimam partem tui?*
SED. *Viuunt? reuixi. Fare, quo latitant loco?*
DEB. *Caſam recepit in ſuam paſtor Roheg,*
Illic morantur oppidò ſparſam domum.
Sed tu quid erras? perfurit totum nemus
Flammis & armis, ocyùs portum pete.
SED. *O ſæua pietas! dura viciſti omnia,*
Mori volenti ſola tu vitam imperas;
Et ſola mortem perimis: edomitus ſequor
Quocumque ducis, Fata nolentem trahunt.

CHORVS.

Vrbi captæ lessum occinit.

CECIDIT *mundi nobile lumen,*
Vrbs syderibus proxima quondam,
Aequata solo sternit campos,
Longè longis sparsa ruinis.
Vidi vidi cuncta cremari,
Et Mulciberum ferre rogos,
Per tecta vagis volitare globis,
Vidi, vidi cineres matris.
Vidi, vidi ante ora parentum
Ad fœda trahi stupra puellas,
Et caniciem sparsam tabo,
Et lanuginis annos teneræ,
Sanguinis alto flumine mersos.
Collisa gemunt pectora palmis,
Et suspiria corde tumescunt.
Luctus facies errat vbique,
Et multa volat mortis imago:

Sapphici.

Dum subit mæstæ facies Sionis.
Heu dolor cæcis furit in medullis,

Imbre manantes oculi liquescunt
Impete vena.
Muta testudo salices fatigat,
Et silent docta resonare chorda,
Ipsa torpenti taciturna sidit.
Lingua palato.
Dulce solamen dolor est dolorum,
Et malis fœtum satiare pectus.
O gena, ô dulces liquidos ocelli
Fundite riuos.
O Sion mater veneranda natis,
Vt sedes lentis penitus medullis:
Cerno te, cerno, teneo, an recursans,
Ludit imago?
Lucidum terra decus ô beata!
Quam poli quondam coluêre ciues,
Nunc iaces! sanguis, cinis, vmbra, manes.
Heu mea vita!

ACTVS QVARTVS.

HIEREMIAS.

Sedeciæ capti fatum luget, eiusque & filiorum è carcere militari gemitus excipit.

QVid me profundo carceris tractum specu
Vocas ad astra, Magne cælicolûm parens?
An vt feraces patriæ ardentis rogos,
Et vsta matris viscera excipiam sinu?
Eheu! peractum est: misera fatalis manus
Plagam supremam sensit, & letho occubat.
„Timete cœli fata tam grandis stetit,
Tam parua Solyma cinere permisto ruit.
Et hic chorais siderum insertans caput
Regnator, alto funere oppressus iacet;
Opaca dum per nemora scrutatur vias,
Per saxa repens aspera illuuie obsitus,
Exanimis, exspes, funeris pompam sui
Ducens cadauer. Rustica tandem in casa
Penè vstulatus ferreo oppressus die,

Iactata

Iactata casses induit summos fera.
Et nunc tenetur captus hostili manu:
Squallore teter, liuidus, ahenis rigens.
Hinc & reuincto liberi patri assident
Ipsi reuincti, liberi heu quondam inclyti
Gloria parentis, lumen excelsæ domus,
Pædore turpes stramini fuso accubant,
Pedibus catenas liuidis rigidas trahunt,
Nutriti in auro, gemmeis nixi thoris!
Illinc edaci compede obstricti gemunt.
Heu capita Solymæ principes, quos inter est
Hic Eleazar, clypeus Isacidum domus.
Ah, si liceret vltimo affatu frui!
Sed castra cingunt ferrea immersam specum,
Vt nullus aditus liberum admittat pedem.
ARIEL. *Hei mihi pater! ô pater!*
SED. *O fili.*
HIER. *Suspensus aure flebilem questum audio.*
ARI. *Heu vincla grauant teneros artus.*
Heu me lacerat ferreus horror!
Pondera gesto, pondera manibus
Insueta meis. Quisquis rerum
Fœdera nectis, Diuum genitor!
O parce precor, parce sepultis.

SED. *Ariel fili mi, fili Ariel,*
Ariel fili, mi fili Ariel!
O parce tuo, Nate, parenti.
HIER. *Mæror patris, mæror acerbus!*
ABD. *Heu lenta miseris fata! quid volucres necis*
Tardastis alas, & mihi mortem inuida
Mortem negastis, cladibus tantum vt meis
Forem superstes? reddite ensem perfidi,
In arma pronus irruam Quisquis vetat
Mori volentem, perimit intactum licet.
HIER. *Heu, quis doloris æstus absorptos rapit!*
Vtinam liceret perditum Regem alloqui!
Sed trahere lentas non vacat seruis moras:
Video frementes Marte victorum globos.
Actum est, mouetur vrna miserorum in caput.
PHINEES. *Absiste, non est hîc tibi tutum senex*
Manere, Regis milites sparsos vides.
Excede, ne quid insolens ludat phalanx.

NABVCHODONOSOR.

Capta vrbe triumphat.

TAndem illa tandem nobilis capta eſt fera,
Mundi cruore ſordida, atque opibus tumẽs.
Illa, illa Solyma cecidit, & caſus ſuos
Mirata, credit vix ſibi; credit tamen
Cecidiſſe, & atra nocte funeſtat caput.
Iam macerati cædibus muri, & graues
Ruère turres, populat ingentes domos
Vulcanus audax, dum vaga ſerpit lue,
Luditque in auro flammeis ſparſus globis.
Patuit reuulſo cardine infamis ſpecus,
Et dira tabo perlita, & ſparſa incubans
Gazæ parentum gemuit inuiſum diem,
Totumque fremitu quaſſa tremefecit polum.
At machinator facinorum, prædæ artifex,
Graſſans cruentis in ſuos Reges dolis,
Plagis tenetur clauſus impoſitis lupus,
Tenetur inquam, noſtra tuto iam in loco
Verſantur odia: Iupiter cælo imperet,
Riualis expers ſolus hîc terras regam.

NABVZ. *Confecta demùm bella ſunt cælo auſpice,*
Priſciſque lauris laurus inſerpit noua.
Blandus decorâ veſtiat cœlum comâ
Apollo, & ore niteat aurato fluens,
Gemma ſerenus candida currat dies,
Dum læta pennis igneis victoria
Nectit corollas, fama dum pernix citis,
Subuecta Zephiris, gentibus nomen tuum
Narrat remotis, hinc honos, illinc decor
Niueos iugales gemmeo frænent iugo.
NABVCH. *Tu qui rubentis Siryj armatus rogis*
Penetraſti in vrbem, longa cum ferro minax
Vallaret acies mœnium aduerſum latus,
Hâc te coronâ Regia exornat manus.
NABVZ. *Hæc eſt meorum ſumma votorum dies.*
Felicitatis hic apex ſiſtit meæ,
Nec poſco fieri Iuppiter, ſi me tibi
Obſequia tanto Martis adſtringunt Deo.

CHORVS CHALDÆORVM principum.

VIuat honorato princeps Chaldæus in ostro,
Viuat honoratus, viuat honoris amor.
Viuat superis charus, & imis
Deus in terris Nabuchodonosor.
Nobis læta dies adest,
Nunc soles meliùs nitent,
Festis candida laureis
Pubes necte capillos.
Vos ô ducite milites
Lentis otia feriis,
Dextro mitis Apolline
Toruum lenio Martem
Tuque ô plebs preme floream
Tellurem pede libero,
Curis fœtaque pectora
Leni dilue Baccho.
Nobis læta dies adest,
Labens æthere faustitas,
Puris fulget honoribus
Nostris accola tectis.

Agros visit & oppida
Labens æthere faustitas,
Et nos diues opum beat
Pleno copia cornu.

NABVCHODONOSOR.
ELEAZAR. AZAR.

Nabuchodonoſor captiuos Principes increpat.

INfausta capita, ſæua Titanum lues,
Etiamne cælo trahere tentaſtis Iouem?
Etiamne ſtellis mittere audaces manus?
Et me flagranti lucidum aſtrorum globo
Violare ferro? mentis inceſtæ nefas!
Quæ vos Apellæ, quæ cruces miſeri; manent?
ELEAZ. *Vincti leonis vellicant mures iubam.*
NAB. *Tu te Leonem venditas prædo impie?*
ELEAZ. *Meos honores venditat gladius meus,*
Adhuc cruore ſontium, & vita tepens.
NAB. *Sed ille felix perdidit Dominum mucro.*
ELEAZ. *Perdidit in armis, obiicis nobis decus.*
NAB. *Fateor, Apellæ, vincier vobis decus.*
AZAR. *Decus eſt honeſtæ patriæ in cauſſa mori.*

NAB. *Et vos in armis mortui?*

ELEAZ. *Libuit mori.*

Non licuit, eheu, quando ſic viſum Deo?

NAB. *Deo? quis ille veſter infelix Deus?*

AZAR. *Qui te, tuoſque præpotens faſtus teret.*

NAB. *Qui Marte noſtro corruit fuſus ſolo.*

„AZA. *Qui mente ſola frangit humanos Ioues.*

NAB. *Aſinuſne mente frangit humanos Ioues?*

„ELEA. *Aſinus! ſceleſtis fiet hic tandem leo.*

NAB. *Rugítne in auro marcidũ hoc Aſini caput,*

Quod thure voluit Entheus Moſes coli?

AZAR. *Hæc ſomniorum ſomnia, & nugæ meræ.*

NAB. *Hæc ſomniorum ſomnia, at verpi canunt.*

AZA. *Imò, mitrata vendit hunc fumum cohors.*

NAB. *Quod colitis ergo numen arcanis focis?*

ELEAZ. *Quod impiorum nemo Medorum videt.*

NABVCH. *Et vos videtis?*

ELEAZ. *Fateor, at mente & fide.*

NAB. *Fide videtur porcus, atque aſini caput.*

ELEA. *O ſancta pietas! ô fides patrum! ô pudor!*

Egóne ſupremum dedecus veſtræ domus

Patiar inultus? quiſquis eſt hoſtis Dei,

Ferro coruſcus tendat hîc greſſus, ego

Nudus, & inermis obuium pectus feram.

Et ni scelestam manibus euulsam piis
Linguam amputaro, gaudeat spoliis meis,
In astra virus perditæ linguæ vomat,
Et hoc veneno solis incestet facem.
NAB. *Te bilis atra cordis inuersum excoquit.*
,,ELEAZ. *Insaniendum est sobriè in causa Dei.*
NAB. *Mitte ista, vitam largior fratri, & tibi.*
,,ELEAZ. *Largire timidis, fortium nemo petit.*
NAB. *Audite Iuuenes, dulcis est vita, & breuis.*
Me vestra flectit indoles, ætas, amor,
Et torua Martis gloria. Incolumes volo,
Volo beatos. Reddite hoc vnum mihi:
Hoc caritati Regiæ, hoc aulæ spei.
Vos execrati Regis infidum larem
Et arma genio fracta Babylonis meæ,
Et læua Hebræi Numinis deliria,
Ad rusticos, & simpulatrices anus
Mittite, nec istâ tendite in fatum viâ.
Vos militate ductu, & auspiciis meis.
Per astra iuro lucida rotantem Mithram,
Fasces, curules, laureas impertiar,
Et ambo ad arces gloriæ illustres veham.
ELEAZ. *Etiamne palpo melleas fundis preces?*
Etiamne nostrum tamdiu ignoras genus?

En nudo pectus, tu cicatrices vide:
Numera cruenta vulnera, & belli notas:
Ego cruoris prodigam mentem gero.
Iuro tremendi numen æternum Dei,
Tuas ego artes execror, Regnum exspuo.
Vtinam liceret pedibus attritam meis
Calcare cidarim, frangere hâc Sceptrum manu.
NAB. *Quid leua fratris consilia sequeris? miser!*
AZAR. *O sancti amores fratris! ô charum caput!*
Quæ me procella, frater, eripiat tibi?
Non si Tonantis fulgure rubentes manus
Feriant, & istos fulmen in nexus vibrent,
Rumpant amoris vincula, & nodos pij.
NAB. *Emollière malleis durum caput;*
ELEAZ. *Mortē minaris, hoc mihi tandē placet.*
NAB. *Mors ista solis quippe furiosis placet.*
ELEAZ. *Dulce & decorum est furere pro caussa Dei.*
NAB. *Rebellionem tu Dei caussam vocas?*
ELEAZ. *Pro patria, & aris emori caussa est Dei.*
NAB. *Morière vecors funere haud vno tamen.*
ELEAZ. *In fatre, credo, bis volo, & possum mori.*
NAB. *Mandate nost i debitum hoc diris caput,*
Et comparate monstra pœnarum noua.

Et ni scelestam manibus euulsam piis
Linguam amputaro, gaudeat spoliis meis,
In astra virus perditæ linguæ vomat,
Et hoc veneno solis incestet facem.
NAB. *Te bilis atra cordis inuersum excoquit.*
,,ELEAZ. *Insaniendum est sobriè in causa Dei.*
NAB. *Mitte ista, vitam largior fratri, & tibi.*
,,ELEAZ. *Largire timidis, fortium nemo petit.*
NAB. *Audite Iuuenes, dulcis est vita, & breuis.*
Me vestra flectit indoles, ætas, amor,
Et torua Martis gloria. Incolumes volo,
Volo beatos. Reddite hoc vnum mihi:
Hoc caritati Regiæ, hoc aulæ spei.
Vos execrati Regis infidum larem
Et arma genio fracta Babylonis meæ,
Et leua Hebræi Numinis deliria,
Ad rusticos, & simpulatrices anus
Mittite, nec istâ tendite in fatum viâ.
Vos militate ductu, & auspiciis meis.
Per astra iuro lucida rotantem Mithram,
Fasces, curules, laureas impertiar,
Et ambo ad arces gloriæ illustres veham.
ELEAZ. *Etiamne palpo melleas fundis preces?*
Etiamne nostrum tamdiu ignoras genus?

En nudo pectus, tu cicatrices vide:
Numera cruenta vulnera, & belli notas:
Ego cruoris prodigam mentem gero.
Iuro tremendi numen æternum Dei,
Tuas ego artes execror, Regnum exspuo.
Vtinam liceret pedibus attritam meis
Calcare cidarim, frangere hâc Sceptrum manu.
NAB. *Quid leua fratris consilia sequeris? miser!*
AZAR. *O sancti amores fratris! ô charum caput!*
Quæ me procella, frater, eripiat tibi?
Non si Tonantis fulgure rubentes manus
Feriant, & istos fulmen in nexus vibrent,
Rumpant amoris vincula, & nodos pij.
NAB. *Emolliêre malleis durum caput;*
ELEAZ. *Mortẽ minaris, hoc mihi tandẽ placet.*
NAB. *Mors est solis quippe furiosis placet.*
ELEAZ. *Dulce & decorum est futere pro caussa Dei.*
NAB. *Rebellionem tu Dei caussam vocas?*
ELEAZ. *Pro patria, & aris emori caussa est Dei.*
NAB. *Moriêre vecors funere haud vno tamen.*
ELEAZ. *In fatre, credo bis volo, & possum mori.*
NAB. *Mandate noui debitum hoc diris caput,*
Et comparate monstra pœnarum noua.

NABVCHODONOSOR.
SEDECIAS.

Sedeciæ vincti caussam audit.

IMpure, vecors, degener, crude, impie,
Et quod malorum maximum terras grauat.
Ingrate, tandem vindices sentis Deos?
Tandem Tonantem cœlitùs cernis manum?
Pollute, Regum infide spoliator, latro,
Quid te rebelli iuuit in Dominum manu
Acuisse ferrum? prædo Regnorum taces.
Eloquere, quis te cæcus instinxit furor?
Eloquere stupide.
SED. *Nescio, fatum meum.*
NAB. *Fatum tuum ignaue nebulo, fatum tuum?*
Tui furores, quid mihi fata obiicis?
SED. *Humanus error.*
NAB. *Crimen errorem vocas?*
Errorem iniquum capite pensabis tuo.
SED. *Non imparatum pectus ad mortes tuli,*
Cùm sors acerba perditum illisit solo,
Cùm Regem, & aulam, cùm mei partem exui,
Cœpi perire. Mortis hoc spolium fuit:

Nunc vilis anima perdita lucis tenax
Tuum ad tribunal ſiſtitur, quam vultures
Sorbere crudi geſtiunt miſeram dapem.
Hunc ſi repoſcis ſpiritum terris grauem,
Exuo, rependo, conſcium teſtor diem.
Non parcus animæ morior. At Regem decet.
NAB. *Quid decet? vt hoſtem comprimi te hoſtiliter.*
SED. *Meminiſſe lenitatis, & ſortis decet.*
NAB. *In te!*
SED. *In miſellum.*
NAB. *In perfidum?*
SED. *In Regem.*
NAB. *In feram?*
SED. *Vitam tueri, & liberos, hoc eſt feræ.*
„NAB. *Odi ſuperbas miſerias.*
SED. *Fateor mihi*
Sors cuncta rapuit, non tamen rapiet virum.
NAB. *Nec parricidam.*
SED. *Quod meum eſt tantum ſcelus?*
NAB. *O Innocentem!*
„SED. *Quod miſer ſum, hoc ſum nocens!*
„NAB. *Miſeria nullos, mens mala nocētes facit.*
SED. *Vbi criminoſæ mentes admiſſum nefas?*

NABVC. *Spoliare reges credo, pietatem putas?*
SEDEC. *Regnum tueri patrium , iustum puto.*
NAB. *Quod? nullum habebas.*
SED. *Debitum at nobis fuit.*
NABVCH. *Tibi?*
SED. *Parentum quippe sic leges ferunt,*
Vt Regna seruent posteris.
NABVCHODON. *Regnum meis*
Armis subactum?
SED. *Armis & oppressum tuis.*
NAB. *Furiose nebulo, num tibi Regnum dedi,*
Meo labore partum, & auspiciis patris?
SED. *Esto, dedisti; si tamen quod non rapis*
Hoc dare putaris. Rumpe libertas fores,
Quas obseratas barbaro hic claudit metu.
Tu lacera mundi spolia violentus rapis,
Alens tributo gentium incestam famem:
Et æstuosæ torridus mentis salo,
Exitia supra nostra violentus ruis.
Si quis opulentus hostis est: si quis lares
Patrios tuetur fidus, & laceræ domus,
„ *Refigit artus, ille sacrilegum est caput.*
Ecquis cruoris tantus insedit furor
Siticulosis faucibus? Tu si potes

Refixa cœlo sydera, & terras rape,
Et nos relinque liberis, patriæ, & focis.
NAB. *Hoc in catenis.* SED *Liber,& similis Deo.*
NAB. *Ego contumacem spiritum elidam potens.*
SED. *Quod tu minaris, carnifex vester facit.*
NAB. *Qui mitigabit pectoris furias tui.*
SED. *Quicquid minaris hoc nimis lentũ venit.*
NAB. *Non sunt inanes fulgur è pelui minæ.*
SED. *Scimus cruore Tigris extingui sitim.*
NAB. *Lentè per artus ille stillabit cruor.*
,, SED. *Pasci cruore non decet Regem pium.*
NAB. *Reges decorum prædo Regnorum doces?*
SED. *Doceo tremendam Iudicis sancti manum,*
,, *Qui intaminatus arbiter rerum sedet,*
,, *Iudicia Regum examinans alio in foro.*
NAB. *Hoc tu præibis ad forum, lentè tamen.*
SED. *Hic te vadari liberè cunctis licet.*
NAB. *Tu me vadare, carnifex caussam audiet:*
Auferte monstrum protinus satellites.
SED. *Audi Imperator.*
NAB. *Loquere funeste.*
SED. *Est mihi.*
Tenella proles.
NAB. *Hoc scio. quid tum? ocyus.*

SED. *Sunt innocentes.*
NABVCH. *Sunt tamen certè tui.*
SED. *Miserere sobolis, quæ in tuo posita est sinu,*
Hæc lacera restant naufragia magnæ domus,
Parui clientes de tuo crescant tibi,
Feliciores perdito patre: hoc peto,
Hoc nomen, ætas, hoc ratio mitis iubet,
Quis seruitutem Regibus pueris negat?
NABVC. *Ego liberare carcere, & vinclis volo.*
SED. *Bene est, abunde est (cælites) vixi satis,*
Meo cruore busta restingue omnia.
NAB. *Viden vt rebelli mente furiatus tumet,*
Nec meminit hostis, temporis, rerum, sui.
Est mitigandus;
NABVZAR. *Facibus, & ferro potes,*
Ferro petatur, occidat.
NABVCHOD. *Pœnam volo,*
Quæ pœna fiat, finis est pœnæ mori.
NABVZ. *Per lenta tortus supplicia vitã exspuat.*
NABVC. *Destino ego plures ictu nostro locos.*
NABVZ. *Sed vna mors est.*
NAB. *Sæpiùs cogam mori.*
NABVZ. *Qua parte feries?*
NABVCH. *Molliori.*

NABVZAR. *Quomodo?*
NAB. *Natos habet, per hos petatur, sic volo.*
Per latera prolis in patrem ferrum exigam.
NABVZAR. *Sunt innocentes liberi.*
NABVCH. *Satis est nocens,*
Quisquis parente perfido viuit satus.
Hæc nostra mens est, filij primum occidant
Patris ante vultus: mox pater ferro graui
Suffixus oculos, per necem vitam exigat.

CHORVS.

Lamentatur Regis & filiorum fortunam.

NOndum expiatos vos Solymæ tegunt
Diri nepotes, maius agit furor,
Et sparsa flammas in minaces
Astra parant noua monstra terris.
Axis ruinis stellifer insonat,
Semperque nostris funeribus tremit:
O parce Regnator labantes
Relliquias temerare gentis.
Erramus altos per cineres patrum,
Flammis perusti, semineces fame,

Ceu per ſepulchrorum fauillas
Spectra modis agitata miris.
Rex taminati carceris incola
Teter catenis, & macie obſitus,
Proludit orco, dum tenebris
Iam vacuum ſepelit cadauer.
Patris ſequuntur funera paruuli,
Impube ferri corpus arat rigor.
Ah quanta Regis hinc cicatrix
Vulneribus rubet vsque crudis!
At victor ignes aggerat ignibus,
Toruamque frontem turbidus incutit:
Ceu fulminantis per fragores,
Igniferi micuêre vultus.
Hinc corda latè ſternit atrox pauor,
Cœlo volucres attonitæ ſtupent,
Terrorque mundi per receſſus,
Et trepidas equitauit vndas.

ACTVS

ACTVS QVINTVS.

NABVCHODONOSOR

Carnificinam præmiſſo ad Sedeciam Tribuno, qui eius filios euocet inſtruit.

I, Fulminatrix, rumpe iam nubem manus,
Satis fragore mugiunt vaſto poli,
Satis triſulcæ nubium flammæ micant,
Iam tota Regum capita quæ ferias patent.
Concipe ruinas manubiis dignas tuis,
Feri, trucida, fiet hoc, fiet nefas,
Quod extimeſcant inferi, fiet tamen.
Incumbe in ignes animæ, viuaces coquit
Violentas iras ardor, eſt flammis iter
Pronum in ruinas: quid moror fruſtra pius?
Iam cœna feruet, ferculo grandi eſt opus,
Tribune perge, Sedeciæ natos voca.
TRIB. *Iniqua ſemper iura famulatus mei*
Vt ego tenellos rapiam ab amplexu patris.

Vt orbitatis vulnus infligam, noua
Semper gementi vulnera, vt cultrum impium
Per viscera exigam? nefaria quid iubes
Fortuna Regni, quem facis votis modum?
Qua fraudulentus arte conficiam nefas
Natura pande, pectus excruciat dolor.

SEDECIAS TRIBVNVS.

Sedeciæ timor, & extrema verba ad filios.

SED. *Agedum Tribune, protinus iussa expedi.*
Quid Nuncias?
TRIB. *Rex filios ambos vocat.*
SED. *Solosne?*
TRIB. *Solos.*
SED. *Ad necem credo rapis?*
TRIB. *Male ominaris, liberi viuent tui:*
Miserata Regis vxor afflictas opes,
Primoque flore lucidum ætatis decus,
A Rege dono postulat miseros dari.
(Sic mansuetum pectus ærumnas amat.)
At ille blanda mitior factus prece

Non iam repugnat, vinculis solui iubet,
Epulasque festo carpere ambrosias die.
SED. *Heu laua fata denegant verbis fidem!*
TRIB. *Quid suspicaris? abripi possent tibi,*
Si vis parata vellet hoc mortis genus.
Sed nunc petuntur, patris vt redimant caput.
Vt fortè in aula principum mixti globo
Crescant in ostro, Regium stipent latus.
Non abnuendam principi hanc sortem reor.
SED. *Adeste nati, columen afflictæ domus;*
Adeste nati, lumen extincti patris,
O cara cara frusta naufragij mei!
Etiam videre naufraga auulsos rate,
Heu quæ libido! maximum est patri bonum.
Cohibete lachrymas; (iubeo, nec possum tamen.)
O filiorum nomen! ô blandum nimis,
Potensque nomen!
ABD. *Fare quid luges, pater?*
Mortem satelles nunciat gnatis tuis?
SED. *Benè ominare.*
ABD. *Præstò sum, si Rex iubet.*
ARI. *Nec ego misellì spiritus fiam tenax,*
Si te reseruat coniugi, satis est pater,
Morior libenter.

SED. *Vlceror; quò me rapis*
O sancta soboles digna meliori patre?
Vos liberari carcere, & vinclis iubet.
ABD. *Nos?*
ARI. *Et parentem?*
SED. *Linquite hunc fato suo.*
ABD. *O sancte genitor, per sacrum nomẽ patris,*
Et per catenas, quas ego lacrymis rigo
Miserere, cui nos durus opponis malo?
ARI. *Vt te relicto spiritum precarium*
Mendicem in aula Regis? ô pudor! ô fides!
Meliora quæso, tam graue est miseris mori?
O sancte carcer! ô patris vincla! ô mei
Numina doloris! cur ego vobis grauis
Comes esse cœpi?
SED. *Non perit vobis parens,*
Dudum perire cœpit exitiis grauis,
Hac parte peragant fata quâ cœpi mori.
Ite, ite filij, sanguine extinguam meo.
Iras leonis, quà volet mortem exigat.
Totus nocens sum, crimine hoc vno reus,
Quod seruituti liberos genui parens.
Ite, ite filij Regis heu! quondam inclyti,
Pretiosa soboles: nunc rei sordes patris;

Ite, ite quondam decora Regalis domus:
Nunc lacera membra, membra funestæ domus.
Ite, ite quondam gentis excelsæ decor,
Nunc lachrymæ, nunc gentis afflictæ dolor.
Quondam beati, regij columen Laris,
At nunc clientes Regis Assyrij.
ABD. *O pater*
Quàm dura narras!
ARI. *Satius est genitor, mori.*
SED. *Vt animus horret laudis ingenitæ tenax:*
O nata sceptris pectora! ô digna manus
Regnorum habenis! vos ego fraudo impius!
TRIB. *Tandem expedite, Regis imperiū vocat.*
SED. *Quid me enecatis filij! viuo, & necis*
Quid vrna verset nescio. vestrum caput,
Meumque forsan melior eripiet Deus.
Exite tandem iussa quò Regis vocant.
Si vos misellos fata fecerunt, tamen
Nec fata possunt facere degeneres.
ARI. *Pater.*
ABD. *Vale ergo, genitor.*
ARI. *Sequimur ad iussus tuos.*
SED. *Sed vnde totus corpore, & mente horreo?*
Tam dirus horror grande præsagit malum.

Redite nati subitò in amplexus patris.
O chara lecti pignora ! ô germen sacrum!
Vos forte in vlnis vltimum amplector meis.
Iterumne lachrymæ ? pertinax patris est amor.
Non vos relinquo: conscias stellas voco.
Hoc si perosum lumen occumbit caput,
Cæpitque terris, & polo fieri graue,
Quacumque cedet flammea mentis vigor,
Carcere refracto corporis, viuam memor
Vestræ parentis filij, & vestrûm memor.
Cum luce prima vestiet Titan polos,
Cum nox nigrantem sepeliet terræ globum,
Iniurioso cum cinis vento ferar,
Inanis vmbra, cassa vitali die,
Adero, subibo leniter, cernam, alloquar;
Noctes beatas vultus implebit patris.
Totus erit oculis pectori totus pater.
Ite, ite fortes, quà Deus miseros vocat.

TRIB. *Vt cæca rotat fortuna vices,*
Regumque domos turbine versat!
Haccine quondam soboles Regis?
Hæccine magnæ spes alta domus?
Vt illuuie corpora sordent,
Liuentque feris colla catenis!

Me tanta mouet luctus facies.
Agite, expedite protinus vota & preces.

SEDECIÆ filij ante Nabuchodonosorem.

ABD. *O Cui superbas credidit gentes Deus*
Frænare sceptro, magne regnator (soli,
Tu licet vtrumque laureis axem tegas,
„ *Est certè oliuis laureas inter locus.*
Iactata dubiis fluctibus miserùm ratis
Tuas ad aras confugit: oliuas tuas
Emersa fluctu prensat, & pacem rogat;
Heu Solyma Solyma, gentium quondam caput!
Viduata tectis, alta consurgit rogis.
Nil iam relictum est militi, præceps furor
In busta sæuit, deflagratæque incubat
Cineri parentis: quid tibi superet vides,
At nos sub alta nocte depressi caput,
Inter catenas gemimus inuisum diem,
Emacerati carceris tetro situ.
Non iam viri, sed mœsta laruarum cohors
O parce parce mortuis!
„ AR. *Non semper axis fulmine illisus tonat,*

„ Nec semper vndant busta Cyclopum fera:
„ Sed sopit iras Iupiter blandum micans,
„ Rutiloque purum crine flauescit caput.
Sic te iuuabit sidus allapsum polo
Terris serenum reddere, & mundo diem.
En prouoluti genibus hæremus tuis,
Hîc pacis aram, mortis aut tumulum expeto.
NAB. *Mortis! quis istas læuus affingit minas?*
Vincla, & dolorem, & mentis emotæ faces, Rex dissimulat consilii crudelitatem.
Obliuiosis mergite in Bacchi sacris.
En cara, Iuuenes, cara libertas adest.
ARI. *Etiam parenti?*
ABD. *Nomen hoc pectus fodit.*
Viuo parente, filiis tuta est salus:
Vincto parente filiis nulla est salus.
Ignosce patri, per tuas lauros rogo.
Quod si expiari conuenit Regni luem
Aliquo cruore, nec capit victor modum:
Ego expiabo cæde quod restat meâ.
Ignosce misero, quò dolores liberûm,
Viuique tendis funus ambiguum patris?
NAB. *Per astra iuro, viuet hic vester parens.*
ABD. *O lenitatem principis dignam Deo!*
ARI. *Totus reuixi frater, ô carum caput.*

NAB. *Exuite vincla, non eos artus decent;*
Induite cultus pristinæ sortis notas,
Exerite trabeas imbre Sarrano graues,
Afferte niueæ vestis intactum decus,
Afferte, iuuenes vestiam nostra manu.
NABVZ. *En turba felix, Martiæ gentis decus,*
Beatitates aureæ lucis colit,
Et fronde festa pullulant diuûm domus,
Diuesque nimbis aura sicaniis tepet.
Augete, Iuuenes, principum illustrem globum.
Date his coronas.
ABD. *Mitte Rex, serta hæc decent*
Crines beatos: est adhuc vinctus pater.
NAB. *Soluetur, ite, veniet accitus parens,* Abripiuntur in aulã necandi.
Iam subsequetur filios, patrem aduoca
Regalem in aulam, lugubrẽ huic cœnam instruo.
Habent, peractum est: victimæ sacræ Deo
Pompâ triumphant funebri: in nostras manus
Tandem nefastus venit, & totus quidem.
Perge, anime, perge, sequere fœlices manus.
Sua membra videat lacera Iudæus stolo,
Commista trunco viscera, & tabum fluens,
Et palpitantes viscerum fibras, suum
Demum cruorem sorbeat: viuat tamen

Bino superstes funeri, morti grauis.

ELEAZARI & AZARIÆ Principum mors.

ELEAZ. E Masculate, lanio puerorum, gulo,
Semesa ructās ossa scelerata dapis.
Si verminosis balneum membris paras
Vita tepenti, & sanguine humano fluens,
Iugulum virorum Marte legitimo pete,
Pete per ferocis aleam belli decus.
Exere tenebris arma, quæ nemo videt,
Inter spadonum clausa rugosum pecus,
Copas syriscas inter, atque inter lupas,
Quæ moliuntur cereum nasum tibi,
Versantque dextrâ tortilem & solea petunt.
NAB. *Elide laqueo guttur infandum ocyùs.*
ELEAZ. *Etiamne laqueo? ô multa fleturum caput!*
Sunt astra, præses est, & astrorum Deus.
Ante astra, & ante cuncta voluentem Deum,
Reddo innocentem spiritum; affigo tibi,
Tuoque capiti sanguinis diras mei,
Diras, edaces, fulminatrices, feras,
Quacumque perges adero nocturnus furor.

Premens, fatigans, vngue funesto impetens
Erosa cancris viscera, & bubonibus.
En iugulum hyæna, sanguinem totum obbibe.
NAB. *Nunc sapere oportet, curris hîc metam vltimam.*
I, sequere vecors, si libet, fratrem tuum.
AZAR. *O qui rotatu voluis æternas domos,*
Et summa ab arce prospicis tantum scelus:
Tyrannus atrox, tartari emissus specu,
Fratrem peremit maximam partem mei.
Et sapere vecors me iubet. Vis osculer
Dextram fluentem cæde Germani mei?
Vis vt te adorem crudiuore mundi Cyclops,
Orbis macellum, venter exquiliis grauis,
Vis vt te adorem? iuro per manes meos,
Non erit inultum posteris tantum scelus.
O frater, ô frater miselli pectoris,
Portio beata, loquere supremum mihi:
Da, da fugaces spiritus oris legam.
O nuper altum laureis centum caput!
O dextra felix, fulmen Assyriæ domus!
O frons amorum, Veneris, & Martis decor!
O blanda lucis fulgura; ô labra, ô genæ!
Hæc vos manebunt fata, nec laurus sacra

Arcere potuit fulmen indignæ necis.
N. *Nondũ expiaſtis crimen infelix ſtygis?* Rex excedit ex ſcena.
Az. *Audi execrãde parte qua flamẽ tonat,*
Hunc ego cruorem ſoſpiti libans Deo,
Cunctas in vnum prouoco Diras caput.
Vt tu æſtuoſi turbine inſtabilis ſali,
Rabidæ phreneſis vortice anxifero gemens,
Euiſceratus, ſulphuris coctus rogis,
Guttatim in aſtra ſpiritum ſontem expuas.
Vt Regem, & aulam, viuus, vt virum exuens,
Et belluarum mixtus armentis, nouum
Mugire diſcas Taurus ignotus tibi,
Deformis, ater, turpis, illutus, lacer,
Ipſæ te atroces reſpuant comitem feræ:

CHORVS.

CEcidit columen dulce Sionis,
Cecidit robur, cecidit virtus.
Iuuenes magnæ pignora gentis,
Manibus iſtis ferte cupreſſos.
Hos non rapido turbine belli
Strauit torui dextera Martis:
Mauors timuit ſæpè tonantes,

At fraus grassans miscuit vmbris.
Non iam laceri mœnia Iudæ,
Nec Barbaricis depasta rogis
Lugeo misera tecta Sionis;
Vestros obitus, grandes animæ,
Desleo, miscens sanguinis aptas
Fletibus vndas. Heu triste sacrum
Impono tuis ô dolor aris.
Cui nos lachrymas libare iubes?
Nondum exhausto flumine manant
Oculi, timeo Regi, timeo
Soboli, non hic conuiua placet,
Quisquis sparsus miserûm tabo
Festiua struit fercula. Nescit
Legem improbitas felix. Acres
Addit stimulos fortuna malis.
Ast vnde tonant fremitus aulæ?
Verberat aures ferri stridor,
Gemituque nouo scelerata sonant
Limina Regis. Noua monstra parat
Victrix Babylon. Discute pauidos
Corde timores, Maxime Regum.

NVNCIVS.

Luctuosam catastrophen deplorat.

QVæ dira facies funerum? est aliquod nefas
Ardente Solyma peius: heu nondum capit
Simulacra mens inferna! Regnator poli
Quò tendis altas gentis exequias tuæ?
Stat execrato mensa feralis lare,
Genialis auro lectus ardenti flagrans
Miseranda præfert spolia Solymæi ducis;
Et has tyrannus calcat in ludis opes,
Toruo furore rabidus & vino calens.
Actum est, paratur ferculum cœnæ vltimum,
Rex ille vinctos filios vinctus trahens,
Ad aram herilem victima infelix venit.
Eccur sub axe timidus inserpit dies,
Flammæque in auro pensili tetrum rubent?
Emissa bustis turba furialis ruit,
Cingitque cœnas horror, & laruæ truces
Subdunt furori calcar, & flammas mero.
Stupuêre mensæ, fleuit in lectis ebur,
Et hic rigemus: blanda quò Patrem rapis
Sed misera soboles? innocens ambo caput

Habent sub ictu, diuidit lumen patris,
Nunc natus & nunc carnifex motu haud pari.
Insultat atrox victor, & quamuis sitit
Rabide cruorem, segne dispensat scelus,
Iuuat ordinare crimen, & lentas mora
Acuere furias. Abdiæ primum in latus
Defigit ensem, iuuenis ad ferrum stetit
Oculo irretorto, gentis Abramidum memor.
Proh cruda fata, proh ferax scelerum dies!
Sub patris oculos triste simulacrum cadit,
Saliente vena bullit insontis cruor,
Tingitq; mensas hospitis, pars in merum
Defluxit, & pars Regis intinxit cibos:
Hâc se saginâ dirus oblectat Cyclops.
At paruus Ariel proximus fratri stupet,
Et ora flectens abdit in patris sinus.
Qualis sub alas matris armatos timens
Accipitris vngues timida se volucris dedit.
Instat cruentus tortor, & paruas manus
Patris catenis vltimùm hærentes rapit,
Sanctosque nexus dirimit. Infandum! explicat
Ensem, & tenelli mergit in iugulo: fluit
Exilis animæ sanguis, & patris pedes
Irrorat, at mens insidens ori vocat

SED. *Vlceror; quò me rapis*
O sancta soboles digna meliori patre?
Vos liberari carcere, & vinclis iubet.
ABD. *Nos?*
ARI. *Et parentem?*
SED. *Linquite hunc fato suo.*
ABD. *O sancte genitor, per sacrum nomẽ patris,*
Et per catenas, quas ego lacrymis rigo
Miserere, cui nos durus opponis malo?
ARI. *Vt te relicto spiritum precarium*
Mendicem in aula Regis? ô pudor! ô fides!
Meliora quæso, tam graue est miseris mori?
O sancte carcer! ô patris vincla! ô mei
Numina doloris! cur ego vobis grauis
Comes esse cœpi?
SED. *Non perit vobis parens,*
Dudum perire cœpit exitiis grauis,
Hac parte peragant fata quâ cœpi mori.
Ite, ite filij, sanguine extinguam meo.
Iras leonis, quà volet mortem exigat.
Totus nocens sum, crimine hoc vno reus,
Quod seruituti liberos genui parens.
Ite, ite filij Regis heu! quondam inclyti,
Pretiosa soboles: nunc rei sordes patris;

Ite, ite quondam decora Regalis domus:
Nunc lacera membra, membra funestæ domus.
Ite, ite quondam gentis excelsæ decor,
Nunc lachrymæ, nunc gentis afflictæ dolor.
Quondam beati, regij columen Laris,
At nunc clientes Regis Assyrij.
ABD. *O pater*
Quàm dura narras!
ARI. *Satius est genitor, mori.*
SED. *Vt animus horret laudis ingenitæ tenax:*
O nata sceptris pectora! ô dignæ manus
Regnorum habenis! vos ego fraudo impius!
TRIB. *Tandem expedite, Regis imperiũ vocat.*
SED. *Quid me enecatis filij! viuo, & necis*
Quid vrna verset nescio. vestrum caput,
Meumque forsan melior eripiet Deus.
Exite tandem iussà quò Regis vocant.
Si vos misellos fata fecerunt, tamen
Nec fata possunt facere degeneres.
ARI. *Pater.*
ABD. *Vale ergo, genitor.*
ARI. *Sequimur ad iussus tuos.*
SED. *Sed vnde totus corpore, & mente horreo?*
Tam dirus horror grande præsagit malum.

Redite nati subitò in amplexus patris.
O chara lecti pignora! ô germen sacrum!
Vos forte in vlnis vltimum amplector meis.
Iterumne lachrymæ? pertinax patris est amor.
Non vos relinquo: conscias stellas voco.
Hoc si perosum lumen occumbit caput,
Cæpitque terris, & polo fieri graue,
Quacumque cedet flammeæ mentis vigor,
Carcere refracto corporis, viuam memor
Vestræ parentis filij, & vestrûm memor.
Cum luce prima vestiet Titan polos,
Cum nox nigrantem sepeliet terræ globum,
Iniurioso cum cinis vento ferar,
Inanis vmbra, cassa vitali die,
Adero, subibo leniter, cernam, alloquar;
Noctes beatas vultus implebit patris.
Totus erit oculis pectori totus pater.
Ite, ite fortes, quà Deus miseros vocat.
TRIB. *Vt cæca rotat fortuna vices,*
Regumque domos turbine versat!
Hæccine quondam soboles Regis?
Hæccine magnæ spes alta domus?
Vt illuuie corpora sordent,
Liuentque feris colla catenis!

Me tanta mouet luctus facies.
Agite, expedite protinus vota & preces.

SEDECIÆ filij ante Nabuchodonoſorem.

ABD. *O Cui ſuperbas credidit gentes Deus*
Frænare ſceptro, magne regnator (ſoli,
Tu licet vtrumque laureis axem tegas,
„ Eſt certè oliuis laureas inter locus.
Iactata dubiis fluctibus miſerùm ratis
Tuas ad aras confugit: oliuas tuas
Emerſa fluctu prenſat, & pacem rogat;
Heu Solyma Solyma, gentium quondam caput!
Viduata tectis, alta conſurgit rogis.
Nil iam relictum eſt militi, præceps furor
In buſta ſæuit, deflagratæque incubat
Cineri parentis: quid tibi ſuperet vides,
At nos ſub alta nocte depreſſi caput,
Inter catenas gemimus inuiſum diem,
Emacerati carceris tetro ſitu.
Non iam viri, ſed mœſta laruarum cohors
O parce parce mortuis!
„ AR. *Non ſemper axis fulmine illiſus tonat,*

„ *Nec ſemper vndant buſta Cyclopum fera:*
„ *Sed ſopit iras Iupiter blandum micans,*
„ *Rutiloque purum crine flaueſcit caput.*
Sic te iuuabit ſidus allapſum polo
Terris ſerenum reddere, & mundo diem.
En prouoluti genibus hæremus tuis,
Hîc pacis aram, mortis aut tumulum expeto.
NAB. *Mortis! quis iſtas leuus affingit minas?*
Vincla, & dolorem, & mentis emotæ faces, Rex diſſimulat conſilii crudelitatem.
Obliuioſis mergite in Bacchi ſacris.
En cara, Iuuenes, cara libertas adeſt.
ARI. *Etiam parenti?*
ABD. *Nomen hoc pectus fodit.*
Viuo parente, filiis tuta eſt ſalus:
Vincto parente filiis nulla eſt ſalus.
Ignoſce patri, per tuas lauros rogo.
Quod ſi expiari conuenit Regni luem
Aliquo cruore, nec capit victor modum:
Ego expiabo cæde quod reſtat meâ.
Ignoſce miſero, quò dolores liberûm,
Viuique tendis funus ambiguum patris?
NAB. *Per aſtra iuro, viuet hic veſter parens.*
ABD. *O lenitatem principis dignam Deo!*
ARI. *Totus reuixi frater, ô carum caput.*

NAB. *Exuite vincla, non eos artus decent;*
Induite cultus pristinæ sortis notas,
Exerite trabeas imbre Sarrano graues,
Afferte niueæ vestis intactum decus,
Afferte, iuuenes vestiam nostra manu.
NABVZ. *En turba felix, Martiæ gentis decus,*
Beatitates aureæ lucis colit,
Et fronde festa pullulant diuûm domus,
Diuesque nimbis aura sicaniis tepet.
Augete, Iuuenes, principum illustrem globum.
Date his coronas.
ABD. *Mitte Rex, serta hæc decent*
Crines beatos: est adhuc vinctus pater.
NAB. *Soluetur, ite, veniet accitus parens,* Abripiuntur in aulã necandi.
Iam subsequetur filios, patrem aduoca
Regalem in aulam, lugubrẽ huic cœnam instruo.
Habent, peractum est: victimæ sacræ Deo
Pompâ triumphant funebri: in nostras manus
Tandem nefastus venit, & totus quidem.
Perge, anime, perge, sequere fœlices manus.
Sua membra videat lacera Iudæus stolo,
Commista trunco viscera, & tabum fluens,
Et palpitantes viscerum fibras, suum
Demum cruorem sorbeat: viuat tamen

Bino superstes funeri, morti grauis.

ELEAZARI & AZARIÆ Principum mors.

ELEAZ. E *Masculate, lanio puerorum, gulo,*
Semesa ructâs ossa scelerata dapis.
Si verminosis balneum membris paras
Vita tepenti, & sanguine humano fluens,
Iugulum virorum Marte legitimo pete,
Pete per ferocis aleam belli decus.
Exere tenebris arma, quæ nemo videt,
Inter spadonum clausa rugosum pecus,
Copas syriscas inter, atque inter lupas,
Quæ moliuntur cereum nasum tibi,
Versantque dextrâ tortilem & solea petunt.
NAB. *Elide laqueo guttur infandum ocyùs.*
ELEAZ. *Etiamne laqueo? ô multa fleturum caput!*
Sunt astra, præses est, & astrorum Deus.
Ante astra, & ante cuncta voluentem Deum,
Reddo innocentem spiritum; affigo tibi,
Tuoque capiti sanguinis diras mei,
Diras, edaces, fulminatrices, feras,
Quacumque perges adero nocturnus furor.

Premens, fatigans, vngue funesto impetens
Erosa cancris viscera, & bubonibus.
En iugulum hyæna, sanguinem totum obbibe.
NAB. *Nunc sapere oportet, curris hîc metam vltimam.*
I, sequere vecors, si libet, fratrem tuum.
AZAR. *O qui rotatu voluis æternas domos,*
Et summa ab arce prospicis tantum scelus:
Tyrannus atrox, tartari emissus specu,
Fratrem peremit maximam partem mei.
Et sapere vecors me iubet. Vis osculer
Dextram fluentem cæde Germani mei?
Vis vt te adorem crudiuore mundi Cyclops,
Orbis macellum, venter exquiliis grauis,
Vis vt te adorem? iuro per manes meos,
Non erit inultum posteris tantum scelus.
O frater, ô frater miselli pectoris,
Portio beata, loquere supremum mihi:
Da, da fugaces spiritus oris legam.
O nuper altum laureis centum caput!
O dextra felix, fulmen Assyriæ domus!
O frons amorum, Veneris, & Martis decor!
O blanda lucis fulgura, ô labra, ô genæ!
Hæc vos manebunt fata, nec laurus sacra

Arcere potuit fulmen indignæ necis.
N. *Nondũ expiastis crimen infelix stygis?* Rex excedit ex scena.
Az. *Audi execrãde parte qua flumẽ tonat,*
Hunc ego cruorem sospiti libans Deo,
Cunctas in vnum prouoco Diras caput.
Vt tu æstuosi turbine instabilis sali,
Rabidæ phrenesis vortice anxifero gemens,
Euisceratus, sulphuris coctus rogis,
Guttatim in astra spiritum sontem expuas.
Vt Regem, & aulam, viuus, vt virum exuens,
Et belluarum mixtus armentis, nouum
Mugire discas Taurus ignotus tibi,
Deformis, ater, turpis, illutus, lacer,
Ipsæ te atroces respuant comitem feræ:

CHORVS.

Cecidit columen dulce Sionis,
Cecidit robur, cecidit virtus.
Iuuenes magnæ pignora gentis,
Manibus istis ferte cupressos.
Hos non rapido turbine belli
Strauit torui dextera Martis:
Mauors timuit sæpè tonantes,

At fraus grassans miscuit vmbris.
Non iam laceri mœnia Iudæ,
Nec Barbaricis depasta rogis
Lugeo misera tecta Sionis;
Vestros obitus, grandes animæ,
Defleo, miscens sanguinis aptas
Fletibus vndas. Heu triste sacrum
Impono tuis ô dolor aris.
Cui nos lachrymas libare iubes?
Nondum exhausto flumine manant
Oculi, timeo Regi, timeo
Soboli, non hic conuiua placet,
Quisquis sparsus miserûm tabo
Festiua struit fercula. Nescit
Legem improbitas felix. Acres
Addit stimulos fortuna malis.
Ast vnde tonant fremitus aula?
Verberat aures ferri stridor,
Gemituque nouo scelerata sonant
Limina Regis. Noua monstra parat
Victrix Babylon. Discute pauidos
Corde timores, Maxime Regum.

NVNCIVS.

Luctuosam catastrophen deplorat.

QVæ dira facies funerum? est aliquod nefas
Ardente Solyma peius: heu nondum capit
Simulacra mens inferna! Regnator poli
Quò tendis altas gentis exequias tuæ?
Stat execrato mensa feralis lare,
Genialis auro lectus ardenti flagrans
Miseranda præfert spolia Solymæi ducis;
Et has tyrannus calcat in ludis opes,
Toruo furore rabidus & vino calens.
Actum est, paratur ferculum cœnæ vltimum,
Rex ille vinctos filios vinctus trahens,
Ad aram herilem victima infelix venit.
Eccur sub axe timidus inserpit dies,
Flammæque in auro pensili tetrum rubent?
Emissa bustis turba furialis ruit,
Cingitque cœnas horror, & laruæ truces
Subdunt furori calcar, & flammas mero.
Stupuêre mensæ, fleuit in lectis ebur,
Et hic rigemus: blanda quò Patrem rapis
Sed misera soboles? innocens ambo caput

Habent ſub ictu, diuidit lumen patris,
Nunc natus & nunc carnifex motu haud pari.
Inſultat atrox victor, & quamuis ſitit
Rabide cruorem, ſegne diſpenſat ſcelus,
Iuuat ordinare crimen, & lentas mora
Acuere furias. Abdiæ primum in latus
Defigit enſem, iuuenis ad ferrum ſtetit
Oculo irretorto, gentis Abramidum memor.
Proh cruda fata, proh ferax ſcelerum dies!
Sub patris oculos triſte ſimulacrum cadit,
Saliente vena bullit inſontis cruor,
Tingitq; menſas hoſpitis, pars in merum
Defluxit, & pars Regis intinxit cibos:
Hâc ſe ſaginâ dirus oblectat Cyclops.
At paruus Ariel proximus fratri ſtupet,
Et ora flectens abdit in patris ſinus.
Qualis ſub alas matris armatos timens
Accipitris vngues timida ſe volucris dedit.
Inſtat cruentus tortor, & paruas manus
Patris catenis vltimùm hærentes rapit,
Sanctoſque nexus dirimit. Infandum! explicat
Enſem, & tenelli mergit in iugulo: fluit
Exilis animæ ſanguis, & patris pedes
Irrorat, at mens inſidens ori vocat

Adhuc parentem, voce morienti patrem,
Patrem requirit, perque ſceleratas dapes
Tam parua ſtridet vmbra fugienti ſono.
Quis tum paterno pectori inſedit furor?
Ruit per enſes, corpus obtendit, rotat
Inter catenas ſanguinem, ferrum, neces.
Et hinc & illinc mortuo affuſus; tamen
Eripere certat, ſtringit hærentes labris
„ Animas anhelus, pugnat in fatum dolor.
Qualis vadoſæ Tethyos præſtant canis,
Cui piſcium inter inclytos ſoli greges
Natura ſobolis altiùs curam imprimit:
Si fortè ſubiit retia incautus, ſuos
Trahens amores ſquammeæ prolis decus,
Oblitus ipſe mortis, & vitæ, & ſui,
Charum gementi ſimilis exportat genus,
Tentatque caſſes dente, & incluſus furit.
Sic ille rabidi vulneris morſu graui
Traiectus alta pectora, in natos diu
Procumbit æger, vlulat, igneſcit, fremit.
Nunc ora lambit oſculis, & nunc ſui
Stillas cruoris ore ſubmiſſo legit.
Heu ter rigentes claudere aggreſſus pater
Natorum ocellos, vincla ter prohibent manus.

O dura

O dura patris lumina in tantum nefas
Seruata! ſatis eſt ô miſer genitor, ſatis,
Moriantur oculi. Carnifex ludum apparat
Trucem & probroſum, luminum in geminos ſpecus
Defigit vngues, circinat tentans iter,
Fontemque lucis, ſacra naturæ abdita
Scrutatur audax dextra, tum auulſos ſua
Extundit oculos ſede miſerandum truces.
Adhuc perrerant igneæ mentis notæ,
Adhuc tyrannum lancinant. Viuit furor,
Sed filiorum caritas multum ſui
Hîc retinet, & hanc pingit oculorum cruor.

CHOR. *Heu flenda nouis ſemper lachrymis,*
Veniunt noſtræ funera gentis!
Hæccine veſtris dulces animæ
Sternitur annis menſa Cyclopis!

SEDECIAS

Orbus oculis & filiis.

SCrutare misera cæcitas, fati viam.
Sat multa vidi. Luminibus hausi meis
Hoc execrandum tartaro & furijs nefas,
Et hos in vsus tamdiu oculatus fui.
Actum est abundè, Ditis expleui sitim;
Corpore recepi tela dirarum omnia,
Nec vllus in me vulneri restat locus.
Quæ pars bonorum sola restabat, perijt:
Periêre lacrymæ. Testor hîc manes tuos
O sancta soboles, testor hîc vmbras tuas,
Fontem doloris cæcitas sola obstruit.
CHO. *O diritatem! magne regnator poli,*
Tam lentus istam criminum labem vides?
SED. *Rex cæcus, & mendicus, atque orbus pater.*
Tetrum cadauer lumine effosso rubens,
Heu æstuantis lacera fortunæ pila!
Inter cachinnos hostium, imo inter feras,
Hanc extraho animam, duram, inexpugnabilem,

Cui me reseruas arbiter scenæ Deus!
Adhucne manes ingero superis meos?
CHOR. *Cladibus istis sol illachrymat.*
Manant tristi sidera fletu.
SEDE. *Date, date, quæso perdito saltem ducem,*
Qui liberorum ducat ad funus patrem.
Iacent tenelli, vulnere, & tabo obliti,
Sparsi in plateis, sanguinem lingunt canes,
Heu liberorum sanguinem! & nemo iniicit
Glebam misellis vltimam. Post tot neces
Etiam negatur Regiis filiis humus:
Etiam negatur mortuis paruus cinis!
Regina canibus peperit hoc vteri decus,
Ego ipse coruis liberos genui pater.
CHOR. *Patris heu luctus! luctus acerbus!*
SEDE. *Date, date quæso perdito saltem ducem.*
Geminum vt cadauer liberûm condam sinu.
Quid cæcitatem obiicitis infausto patri?
Sepelire potero, lucis est nobis satis.
Dilecta facient corpora oculatas manus.
Tergam cruorem? exosculer, videam, alloquar?
CHOR. *Eheu facies sæua malorum!*
SEDE. *Date, date saltem marmor infaustum viri,*

Vt orbitatis triste monumentum meæ
Istis supremum manibus attollam pius:
Vexata miserûm viscera eripiam lupis,
Condamque paruos hospita manes domo?
Dein sedebo cæcus infelix, vigil
Sedebo noctes, ad sepulturam, & rogos:
Vmbras tenellas hic inexpletum ciens,
Non fundam odores. Abstulit sors hoc decus.
Fundam cruentas lachrymas: sors hoc mihi
Tantum reliquit.

HIEREMIAS.

SEDECIA, *Sedecia!*
Heu præpotenti fulmen incussum manu!
Heu dira cœli verbera! heu mæstas cruces!
Appone fidam pectori tandem manum:
Scrutare vulnus, vulneris latebram preme;
Tu Rex prophana mente spreuisti Deum,
Durum, atque amarum est! (non vt insultem loquor!)
Durum, atque amarum est spernere æternum patrem!
Hic fons malorum est.

SEDE. *Heu scio, verè scio.*
Stupende, formidande, ineluctabilis,
Qui picta nitidi fræna moderaris poli.
Quem per sonores igneis vectum rotis,
Laqueata puris templa sideribus pauent.
Conuerte vultus ad meos luctus pater.
Ego ille sum, incestificus, execrabilis,
Qui taminaui templa sidereæ plagæ.
Heu purulentus, fateor, & terræ, & polo!
At nunc nefanda scelera, cor scelerum capax,
Meque ipse paueo: Cæcitas grata est malis,
Quod parco solis polluere castam facem,
Nec video nobis probra regerentem diem.
Ac tu verende, quem facis pœnæ modum?
Si relegis altos sceleris annales mei,
Nouumque semper destinas telis locum,
Feri, trucida, euelle, membratim volo
Tibi perire, debeo, & possum: parum est,
Mors me antecessit vna, sed manes meos
Viuum cadauer pœna lacerabit sequax,
Suos per orbes acta reuolutum pedem.
At lacera frusta Genitor Isacidum domus
Tantum reconde gremio, & allisam ratem
Collige benignus, fœderis sancti memor,

Et vos beati liberi infausti patris,
Quos innocentes præmetit virtus polo,
Manes tenelli, cernite infelix caput
Vestri parentis, obsecro, illuuiem meam,
Curas edaces, matris afflictæ thoros
In melius olim vertite, & semper pij
Radiate cælo lumen afflictæ domus.

FINIS.

NABVCHODONOSOR,

TRAGOEDIA.



ARGVMENTVM.

NVſquam maiora diuinæ in arrogantes vindictæ quàm in hac tragœdia argumenta. Nabuchodonoſor rebus ad votum fluentibus elatus, humani generis metas tranſgreditur. Immanem ex auro ſtatuam ſibi erectam, magno procerum, & populi concurſu, ingenti Symphoniacorum apparatu iubet adorari. Auerſatos tantum ſcelus tres Hebræos Iuuenes inuictæ conſtantiæ addicit fornaci, è qua intacti & auro puriores exiliunt. Tantiſper hic diuini timoris fræni arrogantiſſimo Principi iniecti, quos ſtatim ſuæ fortunæ luxuria excutit, & in ſummam arrogantiam prolapſus ad ferarum contu-

bernium abiicitur. Vide Daniel. 3. & 4.

Tertullianus ait, *Rex Babylonis offenso* Lib. de patientia. *Domino cum sequallore, & pedore septenni ab humana forma exulat*: non quòd reipsa humanam prorsus formam atque animam amiserit; sed quòd mentis intemperie iactatus, tum rationis amissione, tum nudi ac bruti corporis illuuie in feræ speciem degenerarit. Ita S. Hieronymus & Rupertus explicant.

Oeconomia Tragœdiæ talis est.

ACTVS PRIMVS.



ANIEL diuino Spiritu afflatus, totius Tragœdiæ facit προθεωρίαν. Nabuchodonosor felicitatis lasciuiâ imtemperantius exultat, Iuuenes Hebræos de timore numinis prudenter admonentes spernit. Tum fingitur Baltassar, siue is Nabuchodonosoris filius fuerit vt est in sacris, siue nepos (nos hic cum multis loquimur) qui recenti quadam victoria & triumpho, totam aulam in spectacula & ludos effusam summa hilaritate perfundat.

ACTVS SECVNDVS.

R*EGEM Nabuchodonosorem suæ felicitati indormientem vellicant acres scrupuli, & formidolosæ somniorum vexant imagines. Interpretationem sciscitatur à Chaldæis, sed ir-*

rito planè exitu. A Daniele minas cœlestes audit, quibus mirum in modum terretur.

ACTVS TERTIVS.

D*V O potentes aulici regem numinis metu perfusum, à consilio destinant reuocare, & telam maleficij in Hebræos ordiuntur, quos obscenarum artium & maiestatis reos accersunt. Nabuchodonosor ex timore actus in furorem, Pueros euocat, & acerbè obiurgatos sui iubet imaginem adorare, mox detrectantes in carcerem extrudit.*

ACTVS QVARTVS.

B*ALTASSAR tres Pueros multis blanditiis adoritur, vt repudiatis salutaribus consilijs statuam reuereantur. Recusantes Nabuchodonosor in ardentes flammas inijci mandat. Illi cœlestibus præsidijs & Danielis voce confirmati certamen fortiter obeunt. Sed in*

fornace permanent illæsi, Rege ad miraculi nouitatem, emollito tantisper furore, vehementer obstupescente.

ACTVS QVINTVS.

NABVCHODONOSOR *redit ad ingenium, & arroganti fastu elatus ab vltore angelo ad ferinam vitam relegatur. Consecuta mentis alienatio, horribiles vlulatus, vagi & syluestres impetus. Hinc Baltassaris mœror, & totius aulæ stupor, cuius gratulationes hoc recenti vulnere obruuntur.*

PERSONÆ.

ANGELVS.
DANIEL.
NABVCHODONOSOR.
BALTASAR.
ANANIAS.
AZARIAS.
MISAEL.
MALAZAR. Princeps I.
ARTIBARZANES. Princeps II.
LEGATVS.
ARBOGASTES Chaldæus.
CHORVS.



ACTVS PRIMVS.

DANIEL



Diuino Spiritu impulsus totam tragœdiæ seriem exponit quasi cernat oculis.



EV Impiati pectoris vecors scelus!
Heu læua mentis nubila, & præceps furor!
Vt impotenti gaudio effrænis ruit
Fœlix tyrannus, quem dabit votis modum
Beatus ille gentis euersor meæ?
Torrente fortuna ebrius, & impos sui
Vtramque in aurem dormit, & nardo pluens
Albos lucernis perditè infringit dies,
Nec fulminantem cernit ex astris manum.
Hoc esse credit, stultus! in cælo Deum,

Quod dedolatus stipes, aut vnctus lapis,
Quod pupa, quod bos in quadra est argentea.
Consurge præpes anime, quò instigat furor,
Per fornicatas ardui sedes poli.
Quæ vis, quis horror entheam mentem ferit?
Quæ fœta cælo pectora excutiunt virum?
Heu monstra! placuit scelere defungi haud leui.
Per magna semper itur in magnum nefas.
Etiamne in astra tendit audaces manus?
O parce, vidi, parce regnator poli,
Vidisse puduit: vultus obtutu stupet.
Stat execratum pondus, & cælo minax
Insertat aureo crine flauescens caput.
Etiamne adorant? heu sacri cineres patrum!
Etiamne castus curuat Isacides genu?
Etiamne thure, fidibus, & sertis colit?
Surge anime, nondũ Solyma dominatrix ruit,
Per vincla, & arma, per truces patriæ rogos,
Immota virtus surgit, & fratrum trias
Exosa ritus barbaros, seruat polo
Intaminatæ mentis excelsum decus.
Bene est; reuixi: pergite ô sanctum genus.
Succensa fornax lemnium eructat globum,
Fusisque habenis vnda flammarum vorax

Obiecta quæque sorbet, & latè furit.
Sed vos beati feruor ætnæus timet,
Et replicatis ipsa vorticibus lues
Auerna sidit, numen admissum pauens.
Heu contremisce nobilis procerum lupa
Babylon, opimis gentium spoliis grauis,
Heu contremisce cuncta vertentem manum.
Actum est, inultos non sinit Reges Deus.
Quid me resorbet mentis emotæ calor?
Rex ille Regum perdidit Regem, & virum!
Par ille superis induit turpem feram!
Heu quo superbum gloriæ cessit decus?
Grauisque gemmis, purpura, atque auro rigens?
Rex ille Regum tam citò euasit fera,
Vt hirta pellis squallidos artus tegit,
Tetrumque corpus sordet illuuie graui.
Sic astra scandi, sic iuuat fieri Deum.

NABVCHODONOSOR cum tribus pueris

Luxuriat in ſua felicitate, & benè monentibus de timore Numinis pueris illudit.

CAlcare cœlum reſtat, in terris nihil
Iam fulminandum: Fregimus quidquid minax
In iſta torſit ſceptra ſacrilegam manum.
Noſtris ſub armis terra iam latè tremit,
Spectat triumphos orbis attonitus meos,
Et cum ſuperbis militum cinctus globis
Niueos iugales flammeo curru premo,
Sub luce ferri trepidus inſerpit dies,
Stellæ expaueſcunt, ſtant Noti, fluctus ſilent.
Perge anime, perge, ſi quis eſt cœlo Deus,
Sentiat in aſtris eſſe riualem ſibi.
Terris ſubactis ingeram ſtellis manum,
Ortus ſiniſtrâ, dexterâ occaſus premam,
Et me pauebunt cælites, ſi non amant.
Exinde fuluo cinctus aſtrorum choro;

Leges tremendas, & polo, & terris feram:
Ad nostra celeres iussa prosilient Noti,
Eurus flabello leniet solem improbum,
Edicta sparget Aquilo per mundi plagas,
Mixtamque tonitru Reguli vocem audient,
Et extimescent, vt solent auium greges,
Cum Rex volantum clangit insolitum polo.
ANAN. *Viue Imperator, dignus Imperio soli,*
Cunctisque maior, sis minor tantum Deo.
NAB. *Quis ille quem vos fingitis vobis Deum?*
AZAR. *Qui vitā, honores, sceptra donauit tibi.*
NAB. *Mihine sceptra? peperit hoc sceptrum labor*
Gladiusque felix. ANAN. *Peperit auspiciis Dei*
Qui te tremendum Regibus cunctis dedit.
NABV. *Dominos habere nescit hæc ceruix, mihi*
Aeterna soli regna dispensat manus.
MIS. *Quacunque terras lucida stringit rota*
Phœbus renascens, seruiet mundus tibi,
Sed imperabit cœlitum Rex & Pater.
NABV. *Deos, Deasvè fingimus quando lubet,*
Ex ære, & auro, & marmore, & molli luto:
Sed imperare nec volunt, nec si velint
Facient inulti, namque Vulcanus vetat.
Agunt quietos, approbant cuncta, & silent,

Tales ministros, & Deos tales volo.
ANAN. *Heu Imperator, credis hoc diuũ genus?*
Censes hoc esse cuncta vertentem Deum,
Quod bulla, quod lutum, quod exiguus cinis.
Iam quisque muscas Numen æternum putet.
Vita fruuntur, stipites vestri carent.
NABV. *Sed quale tandẽ Numen est vester Deus?*
ANAN. *Qui flectit orbẽ, qui tonat, qui fulminat,*
Qui tollit animas Principum, cuius manus
Regum in coronis quanta, quos ludos facit!
NAB. *Hoc esse Numen credo, quod nemo, videt.*
ANAN. *Et esse credis aërem quem non vides,*
Et esse odores prædicas, quos non vides,
„ Deum videre qui putat, nescit Deum.
„ Deus ille Deus in arce tenebrarum sedet,
„ Et luce solis clarior, Soli dedit
„ Lucere mundo, luminis lux est Deus.
Sol, vmbra tanti Numinis ponit faces,
Regemq; adorat, & patrem. Hunc cælum tremit,
Cursus, recursus, fingit ad nutus Dei:
Huic terra Regi floreum subdit caput,
Hunc vasta placidi regna Neptuni pauent,
Hunc extimescunt igneo mersi freto
Manes profundi, cùm ferit montes potens

Piceâque vastum nube subtexit polum.
At cùm per altas graditur insignis domos,
Et pura lustrat templa syderea plagæ,
Zephyri volucres flammeos currus trahunt,
Euri micanti fræna moderantur manu.
Hinc alta nubes gloria auratas vomit,
Fastigiatum verticis tollens decus.
Hinc veste purâ gemmeus ridet decor,
Pennisque adulans lambit æternum caput.
Illinc ocelli syderum irradiant comas,
Et igneorum militum cingit cohors,
Quacumque gressus dirigit, magni ætheris
Tremunt columnæ, cuncta mugitu fremunt.
NABV. *Sunt stulta verporum, & mera hæc insomnia,*
Vbi ergo deses nuper hic latuit Deus,
Cùm pulsa cecidit Solyma Chaldæâ manu?
AZAR. *Poterat hic hostes sternere vndanti rogo,*
Sicut sequaces barbari Nili rotas
Alto sepultas obruit quondam freto:
Sed nos rebelles ferreæ mentis scelus
Luere decebat, quando sic visum Deo.
Et tu Imperator, Nemesin indomitam time,
Quæ magna regna vicibus alternis quatit.

,,*Agnoſce ſortis lubricæ motus leues,*
,,*Et ſumma librans dexterâ, ſpecta infima.*
,,*Nil non tremendum fecit intrepidis Deus,*
,,*Habet, quod aiunt, & pilus pondus ſuum.*

LEGATVS NABVCHODONOS. BALTASAR.

Nouæ victoriæ, & triumphi nunciantur.

LEG. *DEſideratum lucis auratæ iubar*
O magna Babylon, æmulũ cœli caput,
Quæ fœta lauris brachia expandis, tuus
Quacumque terras Phœbus illuſtrat face.
Nouos triumphos affero, lumen nouum,
Sed ecce Regem.
NABV. *Fare, quid portas boni?*
Sunt ſalua cuncta: ſaluus eſt gnatus meus.
LEGAT. *Vltrice dirum Bardanẽ ſtrauit manu,*
Redit tropheis, gloriâque auctus nouâ
Princeps parente maximo tantum minor.
NABV. *O me beatum Principem! ô niueũ diem!*
O patre dignum filium! ô gnato Patrem!
Bene eſt, tenentur: noſtra iam tuto in loco
Fortuna ſedit, ſumma votorum obtigit.
Gemma decorus candida, hic currat dies,

Et thure caleant aræ, & exhalent viæ
Messes odoras, vicimus tandem Scythas.
Vos lecta pubes obuiam procedite
Vnà beato Principi, veniat statim,
Patrisque vultus impleat vultu suo.
NAB. *O nate, nate, dulce delicium patris.*
BALT. *O genitor, ô lux, & decus gnati tui.*
NABV. *Vt laureatum lætus amplector caput!*
BALT. *Vt hanc lubenter dexteram deosculor!*
NABV. *Ergo redisti victor ad patrios lares?*
BALT. *Redij sub armis fateor, & genio patris.*
NAB. *Effare, dextrâ cæsus est Bardas tuâ?*
BALT. *Et gratâ cessit præda vulturibus Scythis.*
NAB. *Expone Martis aleam & casus tuos.*
BALT. *Quà rapidus altos vortices Tanais rotat,*
Illic rebellis hostium steterat manus.
Ceu tuta rabie fluctuum vecors foret,
Quam iusta Nemesis concito vrgebat pede:
Aduersa ripæ nostra prætexit phalanx,
Campique latè ferreum eructant diem.
Arma arma pubes poscit, & gestit ferox,
Vt lancinata Tigris exangui famè
Exercet iras, faucibus vacuis hians.
Manere pedites ordine instructos suo

Iubeo, deinde flore vallatus truci
Equitum, sonoras fluminis rumpo minas.
Instant feroces imbre telorum Scythæ,
Nos capite proni ruimus in tela, & neces
Quacunque Martis impotens adigit sitis.
Tandemque ripam primus ascensu celer
Euinco, lecta principum sequitur manus,
Totisque castris fulgurat sæuo die.
Occurrit alta Bardanes mole arduus,
Hastamque lateri crudus intentat meo:
Sed dissipauit hanc, pater numen tuum,
Nostráque domuit triste portentum manu.
Hic Martis ardor cæde crudescit noua,
Ripasque latè sanguinis riui lauant.
Capimus, ferimus, perdimus, donec Scythæ
Suo periclo & morte commoti ducis
Ad astra cuncti supplices tendunt manus.
Vbique valido spiritu fregi truces,
Vbique dextram lenis afflictis dedi.
NABV. *Quibus periclis nate, defunctus venis!*
Qualis parenti, qualis, & quantus redis!
Adolere festo thure nunc aras decet,
Variisque ludis terere solemnem diem.

CHORVS.

De Atheiſmi vecordia.

QVàm dira Circes ebibit impius
Contaminato pectore pocula!
Mentem extuderunt, prævolantes
Inque nefas pepulêre ſenſus.
Extincta lucis ſemina procreant
Fæcunda culpæ viſcera, nec modus
Eſt criminoſis, cum timorem
Cœlituum poſuêre corda.
O quiſquis orbis motibus inditum
Numen requiris, cerne ſtatas vices
Voluentis anni, & templa cœli
Perpetuis radiata tædis.
Quot nocte, puro ſub Ioue, ſyderum
Flammæ renident, & tacitâ face
Scrutantur ima: præpotentis
Tot vigiles oculi coruſcant.
Aurita Numen æquora ſentiunt,
Per vim æſtuoſam turbinis audiunt
Edicta Regis, quando arenæ
Iam dociles furias refringunt.

PERSONÆ.

ANGELVS.
DANIEL.
NABVCHODONOSOR.
BALTASAR.
ANANIAS.
AZARIAS.
MISAEL.
MALAZAR. Princeps I.
ARTIBARZANES. Princeps II.
LEGATVS.
ARBOGASTES Chaldæus.
CHORVS.



ACTVS PRIMVS.

DANIEL



Diuino Spiritu impulsus totam tragœdiæ seriem exponit quasi cernat oculis.



EV Impiati pectoris vecors scelus!
Heu læua mentis nubila, & præceps furor!
Vt impotenti gaudio effrænis ruit
Fœlix tyrannus, quem dabit votis modum
Beatus ille gentis euersor meæ?
Torrente fortuna ebrius, & impos sui
Vtramque in aurem dormit, & nardo pluens
Albos lucernis perditè infringit dies,
Nec fulminantem cernit ex astris manum.
Hoc esse credit, stultus! in cælo Deum,

Quod dedolatus stipes, aut vnctus lapis,
Quod pupa, quod bos in quadra est argentea.
Consurge præpes anime, quò instigat furor,
Per fornicatas ardui sedes poli.
Quæ vis, quis horror entheam mentem ferit?
Quæ fœta cælo pectora excutiunt virum?
Heu monstra! placuit scelere defungi haud leui.
Per magna semper itur in magnum nefas.
Etiamne in astra tendit audaces manus?
O parce, vidi, parce regnator poli,
Vidisse puduit: vultus obtutu stupet.
Stat execratum pondus, & cælo minax
Insertat aureo crine flauescens caput.
Etiamne adorant? heu sacri cineres patrum!
Etiamne castus curuat Isacides genu?
Etiamne thure, fidibus, & sertis colit?
Surge anime, nondũ Solyma dominatrix ruit,
Per vincla, & arma, per truces patriæ rogos,
Immota virtus surgit, & fratrum trias
Exosa ritus barbaros, seruat polo
Intaminatæ mentis excelsum decus.
Bene est; reuixi: pergite ô sanctum genus.
Succensa fornax lemnium eructat globum,
Fusisque habenis vnda flammarum vorax

Obiecta quæque sorbet, & latè furit.
Sed vos beati feruor ætnæus timet,
Et replicatis ipsa vorticibus lues
Auerna sidit, numen admissum pauens.
Heu contremisce nobilis procerum lupa
Babylon, opimis gentium spoliis grauis,
Heu contremisce cuncta vertentem manum.
Actum est, inultos non sinit Reges Deus.
Quid me resorbet mentis emotæ calor?
Rex ille Regum perdidit Regem, & virum!
Par ille superis induit turpem feram!
Heu quo superbum gloriæ cessit decus?
Grauisque gemmis, purpura, atque aurorigens?
Rex ille Regum tam citò euasit fera,
Vt hirta pellis squallidos artus tegit,
Tetrumque corpus sordet illuuie graui.
Sic astra scandi, sic iuuat fieri Deum.

NABVCHODONOSOR cum tribus pueris

Luxuriat in ſua felicitate, & benè monentibus de timore Numinis pueris illudit.

CAlcare cælum reſtat, in terris nihil
Iam fulminandum: Fregimus quidquid minax
In iſta torſit ſceptra ſacrilegam manum.
Noſtris ſub armis terra iam latè tremit,
Spectat triumphos orbis attonitus meos,
Et cum ſuperbis militum cinctus globis
Niueos iugales flammeo curru premo,
Sub luce ferri trepidus inſerpit dies,
Stellæ expaueſcunt, ſtant Noti, fluctus ſilent.
Perge anime, perge, ſi quis eſt cælo Deus,
Sentiat in aſtris eſſe riualem ſibi.
Terris ſubactis ingeram ſtellis manum,
Ortus ſiniſtrâ, dexterâ occaſus premam,
Et me pauebunt cælites, ſi non amant.
Exinde fuluo cinctus aſtrorum choro;

Leges tremendas, & polo, & terris feram:
Ad nostra celeres iussa prosilient Noti,
Eurus flabello leniet solem improbum,
Edicta sparget Aquilo per mundi plagas,
Mixtamque tonitru Reguli vocem audient,
Et extimescent, vt solent auium greges,
Cum Rex volantum clangit insolitum polo.
ANAN. *Viue Imperator, dignus Imperio soli,*
Cunctisque maior, sis minor tantum Deo:
NAB. *Quis ille quem vos fingitis vobis Deum?*
AZAR. *Qui vitã, honores, sceptra donauit tibi.*
NAB. *Mihine sceptra? peperit hoc sceptrum labor*
Gladiusque felix. ANAN. *Peperit auspiciis Dei*
Qui te tremendum Regibus cunctis dedit.
NABV. *Dominos habere nescit hæc ceruix, mihi*
Aeterna soli regna dispensat manus.
MIS. *Quacunque terras lucida stringit rota*
Phœbus renascens, seruiet mundus tibi,
Sed imperabit cælitum Rex & Pater.
NABV. *Deos, Deasve fingimus quando lubet,*
Ex ære, & auro, & marmore, & molli luto:
Sed imperare nec volunt, nec si velint
Facient inulti, namque Vulcanus vetat.
Agunt quietos, approbant cuncta, & silent,

Tales miniſtros, & Deos tales volo.

ANAN. *Heu Imperator, credis hoc diuũ genus?*
Cenſes hoc eſſe cuncta vertentem Deum,
Quod bulla, quod lutum, quod exiguus cinis.
Iam quiſque muſcas Numen æternum putet.
Vita fruuntur, ſtipites veſtri carent.

NABV. *Sed quale tandẽ Numen eſt veſter Deus?*

ANAN. *Qui flectit orbẽ, qui tonat, qui fulminat,*
Qui tollit animas Principum, cuius manus
Regum in coronis quanta, quos ludos facit!

NAB. *Hoc eſſe Numen credo, quod nemo, videt.*

ANAN. *Et eſſe credis aërem quem non vides,*
Et eſſe odores prædicas, quos non vides,
,, Deum videre qui putat, neſcit Deum.
,, Deus ille Deus in arce tenebrarum ſedet,
,, Et luce ſolis clarior, Soli dedit
,, Lucere mundo, luminis lux eſt Deus.
Sol, vmbra tanti Numinis ponit faces,
Regemq; adorat, & patrem. Hunc cœlum tremit,
Curſus, recurſus, fingit ad nutus Dei.
Huic terra Regi floreum ſubdit caput,
Hunc vaſta placidi regna Neptuni pauent,
Hunc extimeſcunt igneo merſi freto
Manes profundi, cùm ferit montes potens

Piceâque vastum nube subtexit polum.
At cùm per altas graditur insignis domos,
Et pura lustrat templa sydereæ plagæ,
Zephyri volucres flammeos currus trahunt,
Euri micanti fræna moderantur manu.
Hinc alta nubes gloria auratas vomit,
Fastigiatum verticis tollens decus.
Hinc veste purâ gemmeus ridet decor,
Pennisque adulans lambit æternum caput.
Illinc ocelli syderum irradiant comas,
Et igneorum militum cingit cohors,
Quacumque gressus dirigit, magni ætheris
Tremunt columnæ, cuncta mugitu fremunt.
NABV. *Sunt stulta verporum, & mera hac insomnia,*
Vbi ergo deses nuper hic latuit Deus,
Cùm pulsa cecidit Solyma Chaldeâ manu?
AZAR. *Poterat hic hostes sternere vndanti roga,*
Sicut sequaces barbari Nili rotas
Alto sepultas obruit quondam freto:
Sed nos rebelles ferreæ mentis scelus
Luere decebat, quando sic visum Deo.
Et tu Imperator, Nemesin indomitam time,
Quæ magna regna vicibus alternis quatit.

,,Agnosce sortis lubricæ motus leues,
,,Et summa librans dexterâ, specta infima.
,,Nil non tremendum fecit intrepidis Deus.
,,Habet, quod aiunt, & pilus pondus suum.

LEGATVS NABVCHODONOS. BALTASAR.

Nouæ victoriæ, & triumphi nunciantur.

LEG. *Desideratum lucis auratæ iubar*
O magna Babylon, æmulũ cœli caput,
Quæ fœta lauris brachia expandis, tuus
Quacumque terras Phœbus illustrat face,
Nouos triumphos affero, lumen nouum,
Sed ecce Regem.

NABV. *Fare, quid portas boni?*
Sunt salua cuncta: saluus est gnatus meus.

LEGAT. *Vltrice dirum Bardanẽ strauit manu,*
Redit trophæis, gloriâque auctus nouâ
Princeps parente maximo tantum minor.

NABV. *O me beatum Principem! ô niueũ diem!*
O patre dignum filium! ô gnato Patrem!
Bene est, tenentur: nostra iam tuto in loco
Fortuna sedit, summa votorum obtigit.
Gemma decorus candida, hic currat dies,

Et thure caleant aræ,& exhalent viæ
Messes odoras, vicimus tandem Scythas.
Vos lecta pubes obuiam procedite
Vnà beato Principi,veniat statim,
Patrisque vultus impleat vultu suo.
NAB. *O nate, nate, dulce delicium patris.*
BALT. *O genitor, ô lux, & decus gnati tui.*
NABV. *Vt laureatum latus amplector caput!*
BALT. *Vt hanc lubenter dexteram deosculor!*
NABV. *Ergo rediſti victor ad patrios lares?*
BALT. *Redij sub armis fateor, & genio patris.*
NAB. *Effare,dextrâ cæsus est Bardas tuâ?*
BALT. *Et gratâ cesſit præda vulturibus Scythis.*
NAB. *Expone Martis aleam & casus tuos.*
BALT. *Quà rapidus altos vortices Tanaïs rotat,*
Illic rebellis hostium steterat manus.
Ceu tuta rabie fluctuum vecors foret,
Quam iusta Nemesis concito vrgebat pede:
Aduersa ripæ nostra prætexit phalanx,
Campique latè ferreum eructant diem.
Arma arma pubes poscit, & gestit ferox,
Vt lancinata Tigris exangui fame
Exercet iras,faucibus vacuis hians.
Manere pedites ordine instructos suo

CHORVS.

De Atheiſmi vecordia.

QVàm dira Circes ebibit impius
Contaminato pectore pocula!
Mentem extuderunt, præuolantes
Inque nefas pepulêre ſenſus.
Extincta lucis ſemina procreant
Fæcunda culpæ viſcera, nec modus
Eſt criminoſis, cum timorem
Cælituum poſuêre corda.
O quiſquis orbis motibus inditum
Numen requiris, cerne ſtatas vices
Voluentis anni, & templa cæli
Perpetuis radiata tædis.
Quot nocte, puro ſub Ioue, ſyderum
Flammæ renident, & tacitâ face
Scrutantur ima: præpotentis
Tot vigiles oculi coruſcant.
Aurita Numen æquora ſentiunt,
Per vim æſtuoſam turbinis audiunt
Edicta Regis, quando arenæ
Iam dociles furias refringunt.

Et qui procellas incutiunt Noti,
Noctemque & imbres agglomerant fretis,
Si iussit author replicatis
Ad solium tremuêre pennis.
Frustrà latebris quæris iners Deum.
„Aduerte mentem, si potes, est Deus
„ Quodcumque cernis, quod moueris
„ Hoc Deus est: Deus vnus, vni
Affusus orbi temperat omnia,
Hoc pulsus axis stellifer insonat,
Hoc fœta tellus, hoc liquenti
Vnda ferax animatur aluo.
Molem vniuersi Spiritus induit,
Vt pneusticorum per segetem æream,
Allapsa pulsu leniori,
Aura sacros meditatur hymnos.
„Sola improborum mens vacua est Deo
„Quo plena cuncta. Nempe Deum fugit,
„ Sed fulminantem, dum vagatur
„ In propria inueniet ruina.

ACTVS SECVNDVS.

NABVCHODONOSOR

Territus cœlestibus portentis somniorum interpretationem quærit.

ECquis medullis sæuus inserpit dolor
Mentemq; versat, sede dilapsam sua?
Vt bracteatis illitum regnis decus,
Sparsusque fuco, defluit sortis fauor!
Inuidus Alastor principum miscet vices,
Nec patitur æquis fluere fortunam rotis.
Hoc est (quod aiunt) sæpiunt dumi rosas,
Anguesque vallant balsama, & stimuli fauos.
An mens timore quassa præsagit malum?
An & laborat tædio felicitas,
Et vult dolere sponte? si dolor est amor.
Nescio, sed ingens pectus afflauit metus.
Pudet fateri. Interritum Regem antea,
Nunc & Deorum stulta religio mouet,
Et vana terrent somnia, & spectra, & minæ.

Anne quod Hebræi prædicant verè est Deus?
An quisque mente credulâ fingit Deos?
Si nullus est cælo Deus, quis hic tonat?
Mundumque miscet murmure, & quassat polos?
Quis nos repentè mortibus cæcis ferit?
Et si quis est cælo Deus, cur improbos
Patitur inultos? Sæpè contempsi, scio.
Et viuo terris maior, & similis Deo,
Quemcumque fingunt. Nullus est, timeo tamen.

NABVCHODONOSOR,
BALTASAR, Principes.

Rex curas explicat filio.

NABV. *Bene est, teratur totus in ludis dies,*
Quando serenus solis effulsit decor.
BALT. *Vrbs tota ridet pube vernanti (pater)*
Vbique ludi, Comus, & Bacchus tepent.
Sed tu dolorem conscius venis tegis,
Fugisque ludos, & chorum, & lucem, & viros.
Effare, genitor, quod miser tantum scelus
Commisi, vt istas ingeram curas tibi?
NABV. *Peruidit, actū est, gnate, non tu, sed Dij*
Mihi dolores anxios mentis creant.
BALT. *Quid est recenti gaudio obiectum mali,*

Quod me & triumphos obruit?

NABV. *Planè nihil.*

BALT. *Cur ergo dubius fluctuat vultu dolor?*

NABV. *Vereor.*

BALT. *Vereri quid potest victor?*

NABV. *Deos.*

BALT. *Deos? At illi nostra fortunant.*

NABV. *Scio.*

Gypsata tamen est rebus humanis fides.

BALT. *Nos cuncta mundi sceptra moderamur manu.*

NABV. *Et hoc verendum.*

BALT. *Vicimus culmen.*

NABV. *Petit hinc ima lapsus.*

BALT. *Arce vallati sumus.*

NABV. *Arx nulla prohibet fulmen instabilis Deæ.*

BALT. *Sed vnde fulmen? vnde tam subitus tremor?*

NABV. *O somniorum iam nimis diros metus!*

BALT. *Si te Imperator somnij terrent minæ,*
Habes stupendi conscios vates Iouis,
Qui te timore liberent, præstò est magus,
Vis specimen edat?

NABV. *Perge, ſic fieri placet.*

NABVCHODONOSOR, ARBOGASTES Chaldæus, MALAZAR.

Conſuluntur Magi.

AGe *Arbogaſte, frange Saturnum meum,*
Clementiori Veneris obtuſum face.
ARBOG. *Magnanime Beli ſanguis, aſtrorum potens.*
Quæ tibi cruentum cura defixit iecur,
Vultuſque radios nube mœſtitiæ tegit?
Poſſum mederi, fare, nam fætas mihi
Natura dudum pandit arcanis domos.
Me ſigna picti lucida obſeruant poli,
Sub me recurrunt arbitro rerum vices,
Et Parca ſub me conſcio penſum trahit:
Modo ego ſub axes ætheris rapidus feror,
Modo ego receſſus intimos noctis peto.
Famulantur vmbræ Tartari, ad iuſſus meos
Nutant opaca Ditis inferni loca.
Stat axe medio fulmen, & rubras premens

Subſiſtit

Subsistit alas; pallet excussus dies.
Lasciuientes Mulciber frænat rogos,
Et rapida sistit noster Euphrates vada.
Quin plura si vis, æthere eliciam Iouem.
NAB. *Tu plura nosti, quàm velim, tantum mihi*
Effare noctis spectra quid portent noui?
Hesterna dominæ tesserat nocti dies,
Soporque lentus regio fultos thoro
Artus rigabat, cùm mihi facto agmine
Plebs somniorum nigra se menti ingerit.
Tu perge, narra somnium, quidve indicet?
ARB. *Penetrare in imos mentis arcanæ sinus,*
Septamque latebris excutere non est magi.
Narrare primùm somnia, & noctes decet,
Interpretari quid velint res est mea.
NAB. *Sed tu rotator syderum non prænides*
Quid quisque rerum somniet?
ARBOG. *Quis hoc sciat,*
Quod mens sub alta nocte demersum abdidit?
NABV. *Et tu Deorum consilia vecors tenes.*
ARBOG. *Deus recludit.*
NABV. *Et tibi narret Deus,*
Quod somniaui.
ARBOG. *Nota res est hæc tibi.*

NAB. *Præterita nescis nebulo, quid tandem scies*
Quod est futurum? somnium perge indica,
Vel igne lento, cocta stillabit cutis.
ARBOG. *Nemo Imperator istud à vate expetit,*
Vt auguretur mente quod voluit suâ.
NABV. *O execratum iure cœlitibus caput,*
Ite, & cremate, ludit in Reges, scelus!
ARBOG. *Per solis oro Numen, & genium tuum*
Audi innocentem.
NABV. *Quid mihi narras?*
ARBOG. *Precor.*
Audi innocentem: quicquid exposcis dabo.
Largire tantum temporis spatium breue,
Et artis edam specimen, & cælo, inferis,
Tot aduocabo Numina, vt fiant satis,
Ad explicandum quod Deus maior iubet.
NABV. *Sed vos videte ne quid admittat doli.*
ARBOG. *Afferte quidquid noxium pontus creat,*
Quidquid veneni fertiles Colchi tegunt,
Spumas Draconum perlitas hydræ lue,
Stygium cruorem pestibus fætum nouis,
Furiale lumen Cerberi, lacrymas stygis,
Crinem Medusæ, Gorgonum sceletos graues,
Et coctum Auernis virus hippomanes rogis.

Perge anime & artes explica, & toto inferos
Violentus hauri pectore, attrecta sacrum.
Exequere dirum facinus, horribile, impium,
Quod expauescant solis auersæ faces.
Animos oportet masculos. State ô viri.
Præferte tædas, ordior telam improbam.
Ocyus prorumpe terris tænare, & tandem impetu
Præpeti crepate magni templa labefacta ætheris.
Vos precor venite, ruite Ditis vltrices Deæ,
Quotquot sub alta nocte demergit Chaos,
Squallidæ, turpes, cruentæ, luridæ, execrabiles,
Impium rotate ferrum, squammeis fusæ iubis.
Tænaro rictus auernos exerite, centum caput
Torridi vallent cerastæ, & virus effusum ruat,
Impetens per ora mixta sanguine, & fuligine,
Huc ades Styx, Erebe, Phlegeton, sulphure immites lacus,
Desidisque pigra lento stagna Cocyti gelu.
Luridam spargite mephitim, fundite inimicam luem,
Tartari ructate pestes, vomite portenta horrida,
Funerũ diras, Chimæras, excetras, cacos, stryges,
Noctuas, & quidquid alto gurgite immersum latet.

NABV. *Tandem peractum est, indica quidquid tegis,*
Effare mentis abditos sensus meæ.
ARBOG. *Hoc Imperator nec ego, nec Dij sciunt.*
NABV. *Impostor, excors, solis & terræ pudor!*
Quem versipelli fallere hîc tentas dolo?
Ite, expiate malefici audacis nefas.
In capita Regum ludit hoc spurcum genus,
Faxo supremum luserit: dein se parem
Diuis ineptus venditat, comburite.
Subiicite flammis corpus incestæ luis.
MALAZ. *Moriere vecors debitum Diti caput.*
ARB. *Hæc nostra merces, hoc sacri palmarium.*
Sed pœnitebit quisquis hoc tandem iubet.

NABVCHODONOSOR, DANIEL.

Somnij interpretatio.

D*Ilecte cœlo, maximi interpres Dei,*
Cui fœta puris pectora oraclis tument,
Effare mentem cura quæ versat meam,
Et somniorum dissipa vanos metus.

DAN. *O cui ſuperbas credidit gentes Deus*
Frænare ſceptro, maior in magnis Deus.
Tu me Imperator ſapere nequicquam putas,
Homuncionis editum terra genus.
„ *Hoc ſapere noſtrũ, credo, quod tenuis vapor,*
„ *Quem ſorbet acri feruidus Titan rota,*
„ *Medio ſub axe. Abrupta per rerum auij.*
„ *Deſipimus omnes; vnus in cælo ſapit.*
Sed hic reuelat mentis arcanæ notas,
Clarumque luſtrat pectus æthereâ face.
Vt ſol ſerenâ luce cryſtallum ſecat,
Totumque radio mergit abſorptum vndique:
Talis penetrat lucidus mentes Pater,
Purumque terſo pectori illapſus micat.
Sed fæce ſordens animus, & ſemper vorax
Rubigo mentis ferreæ, excludit Deum.
NABV. *O dicta mentis aureæ! verè ſapit.*
„ DAN. *Meræ tabellæ ſimilis eſt animus viri,*
„ *Hanc viliori pictor aſpergit croco,*
„ *Hanc delicato flore conueſtit, leui*
„ *Illuſtrat auro, & purpuræ accendit face:*
„ *Si gloriatur tabula, num ſtultè facit?*
NABV. *Effare Daniel ſomnium, ſolus tenes*
Arcana cæli, ſolus aſtrorum minas,

Et ſapere ſolus mente cœleſti potes.
DAN. *Fabor quod alto pectori iniecit Deus:*
Quod ſcire te Rex expedit, quod me loqui.
Nuper videbas arborem mediis ſitam
Mundi ſub vlnis, quæ tibi magno ambitu
Erecta, lambit ardui ſedes poli.
Diffuſa ramis brachia, & celſas opes
Emittit aſtris, veſtiens vmbris humum.
Crinita pulchris frondibus blandum nitet,
Et meſſe odora fructuum diues, beat
Quaſcunque opacat aurea gentes coma.
Subter vagantur vellere intonſo greges,
Et acrieres leniunt iras feræ,
Nec vlla dentis improbi ſtringit minas.
Aues in altis conſident nixæ thoris,
Fractâque voce temperant dulces modos.
Sed ecce ſubitus armiger magni Dei,
Cœlo flagranti turbine emiſſus tonat,
Excaudicari ſtipitem ignauum iubet,
Pulcras aduncâ falce præcidi comas,
Fundique fœtus aureos ſparſos ſolo:
Linquunt volucres hoſpitem, & comites feræ,
Sæuâ bipenni ponit afflictum caput;
Vix ſola radix reſtat, & tantam arborem

Nullam repentè vidit attonitus dies.
Compage vincta ferrea longum iacet,
Et rore cæli tingitur, donec citô
Bis sena Titan signa decurrens gradu,
Strictam leonis septies tangat iubam.
NABV. *Verè attigisti, perfice ô sacrum caput.*
DAN. *Nescire malis reliqua, sed dicam tamen,*
Quidquid Tonantis Numen æternum iubet.
Tu, Rex, es arbor, proximum diuis caput
Effers, & vmbrâ nominis mundum tegis.
Tu cum potenti dextera ferrum rotas,
Vt vim trisulcam fulminis; gentes tremunt,
Quascunque Phœbus aureâ lustrat face.
Tu bella bellis, regna tu regno aggeris,
Tibi triumphi penè nascuntur domi,
Et aucta semper crescit, & centum tibi
Effulta lauris gloria assurgit polo.
Sed præferoci mente contemnis Deum,
Qui sceptra Regum sancit imperio ætheris,
Statasque rerum voluit arbitrio vices:
Hinc te superbum plaga cœlestis ferit,
Dominator ille Satrapûm, Taurum indues,
Et victitabis fœno, & horrificum ciens
Mugitum in astra, vasta terrebis loca,

Donec tremendum Regibus noſcas Deum.
NABV. *Inſane vates, Siccine illudis Ioui?*
Me exuere Regem? belluam fieri? nouum
Errare Taurum nemoribus? tu me enecas.
Si ſcelera noſtra ſtatuit vlciſci Deus,
Quin face triſulcâ ſæuit in noſtrum caput?
Quin totus in me mundus illiſus ruit?
Me exuere Regem! belluam fieri! bouem
Mugire! hebeſcit pectus obtuſum malis.
DAN. *Sic fieri oportet, ſeptimam donec vehat*
Meſſem flagranti Phœbus accenſus rota.
NAB. *Ite, ite ſceptra pondus infelix manus,*
Inuolue Titan nube ſanguineâ diem,
Emitte noctem concitam, & luctus meos
Vela tenebris, ſolis æternùm pudet.

CHORVS HEBRÆORVM

Luxum & arrogantiam Regis caſtigat.

QVò mortale genus ruis,
Audax aſtra refringere?
Quò mortale genus ruis,
Terrarum exitiis furens?
,,Cerne vt lubrica vitreo
,,Rerum culmine fors ſedet,
,,Et vi fulminis incita
,,Fictos præcipitat Ioues.
Heu quem cœlitibus parem
Tellus ſubdita viderat,
Duro ſub Ioue mugiet
Bubus mixtus inhoſpitis!
Hic dum flammiuomus Draco
Vndarum in medio cubat,
Euphratemque ſuum, & Tigrim
Frænis mobilibus regit.
Irridet ſuperûm genus,
Vanis nominibus tumens:
Axem ſtelliferum, & poli
Aequat templa mapalibus.

At frænos parat aliger
Magnus sydereos, quibus
Stringat guttura belluæ,
Et longam ingluuiem premat.
Nil te flumina, nil opes,
Nil densi vrbibus aggeres,
Nil tot tela minacia
Excussa in superos iuuant.
„ Si magna infremuit manus,
„ Frustra præsidiis ferox
„ Sceptri robora vitrea
„ Armis cælituum obiicis.
Aude dira superbia
Cælum impellere turbine,
Et pennas Aquilæ rape
Quæ te syderibus vehant.
Huc quacunque feres gradum
Vltor desiliet Deus,
Si nidum ætheris in sinu
Fati nescia fixeris,
Vltor decutiet Deus.

ACTVS TERTIVS.

MALAZAR, Princeps

Regis irridet religionem, & Hebræis peſtem machinatur.

MIgrate ciues, exules regnum tenent,
Iactant ſe in aula regia, & Reges regũt:
Mihi medullis feruet incenſis dolor,
Fixæque dudum pectori ardeſcunt faces.
Heu lecta corda, gentis Aſſyriæ duces,
Quos rumor alba gemmeus penna nitens,
Suis, patrumque laureis claros vehit,
Faſtidioſo principi dudum graues.
Sordent, & aulæ lubricâ currunt rotâ.
Heu, Rex iniquus, impotens, exul ſui,
Suam ſiniſtrâ dexteram abſcindit manu,
Et carcinoma gentis impuræ, vt ſua
Viſcera tuetur, deperit, flammat, furit.
Nobis Apellæ ſordidi leges ferunt,
Quos pro ſubulcis ſeruuli nolint mei.

Vt fascinarunt artibus Regem impiis,
Cæcamque stolido pectori afflarunt luem.
Rex ille quondam maximo propior Ioui,
Nunc Metragyrtis risus, & præda, & pila,
Fidit, veretur, angitur, sperat, timet,
Omnesque vultus suscipit quos induunt.
Etiam minantur belluam miserum fore,
Ni pronus Asini triste veneretur caput,
Ponens senile Moysi præputium.
Delira tandem relligio quid non iubet?
Heu belluinus est satis stupidus senex,
Qui belluarum monstra visceribus fouet.
Sed comprimentur, esto, nunc Regi placent,
Quis nescit artes aulicas? fingi potest
Crimen, quod ipsos turbine affligat solo.
Sunt innocentes, integri, puri, aurei.
Fingere volenti facinus est promptum satis,
Et mordeantur ossa, si desit caro:
Habere nolunt pro Diis statuas ducis,
Hæc ratio sola vertet exitiis reos.
Adeamus ergo; prome verborum faces,
Exci flabella, principem incendi iuuat.

NABVCHODONOSOR,
MALAZAR, ARTIBARSANES.

Accuſant Hebræos apud Regem.

TRemende Regum domitor, & magne arbiter,
Si quis tueri facta dignaris virûm.
Miſerere quæſo, & reſpice in luctus meos.
Reconde gladios igne flammantes truci,
Et redde lucis aureum innubis decus.
ARTIB. *Vt quid ſerenas luridus pallor genas*
Inficit, & alto pectori impreſſus timor
Mentem labantem concutit? tandem feros
Expelle motus, redde te tandem tibi.
NAB. *Heu me Deorum territant iræ graues.*
MALAZ. *Quiſquis cruentos fingit, & metuit Deos*
Neſcit Deorum numen.
ARTIB. *Aut non ſint Dÿ,*
Aut ſunt benigni.
NABV. *Sed nimis ſpreui impius,*
ARTIB. *Memento te Regem, memento te Deum.*

„ NABV. *At consenescunt marcidi terræ Iones.*
MALA. *Non hæc triũphis dicta conueniunt tuis.*
„NA. *Frons est caduca laureæ, & fallax bonum.*
ART. *Adamante puro sceptra Babylonis rigent.*
NAB. *Heu dira imago noctium, quò me rapis?*
MALAZ. *Sunt vana noctis spectra, vani sunt metus.*
NAB. *Sed cassa non sunt quæ canunt Oracula*
Vates Hebræi; vereor heu plagas Dei.
ART. *Heu Imperator! rũpat hic frænos pudor,*
Emarcuisti totus, & non es tuus.
Vbi ille mentis igneæ celsus vigor,
Qui te erigebat proximum æterno Ioui?
Nunc pertimescis omnia, vel vmbram pili,
Credis salutem barbaris, spernis tuos,
Fateri oportet, timeo iam regno & tibi.
MALAZ. *A te fouentur oua serpentis sinu.*
Inuisa gens mortalibus, cœlo, inferis,
Eiecta, cassa, naufraga, execrabilis,
Quam verticosis expuit Nereus fretis,
Aut Ditis ater gurges euomuit vado,
In ferrum, in ignẽ, in principũ tragicas neces;
Errant per orbem patrio extorres solo,
Sica, & venenis sæpius, quam nos pila

Ludunt, & animas fortium perimunt dolo.
Hac peste quondam diues Aegyptus ruit,
Oppressa magicis artibus, fato graui.
Vidit cruento flumine effusum rapi
Nilum per vrbes; quidquid ex Nilo fuit
Salientis vndæ, rubuit aspectu horrido,
Tetro & minaci; qui fuit vitæ liquor,
Fit stygius humor. Latius serpit malum,
Nam deses vnda immite ranarum alueo
Diffudit agmen, inde corripuit viam
Per rura & vrbes, perque Regificas domos.
Inter paratas irrito luxu dapes,
Inter coronas, & relucentes thoros
Immunda repsit pestis, & dulces cibos
Præripuit ori, pocula insiluit ferox
Ardente vino, lusit, & in auro sitim.
At fessa cùm iam membra mulceret sopor,
Affusa lectis hæsit, & virus nouum
Aspersit; altas traxit hinc noctis moras
Insomnis oculus. Maius hic tentat furor.
Fatale Moses entheus lignum mouet,
Totoque sparsum puluerem latè solo.
Fundit repentè magicus in culicum globos.
Insurgit acies acribus pinnis micans,

Ieiuna ventris cauea inexpletùm ſitit
Hominum cruorem; ſpiculat telum ferox
Natura prædæ, vocis & ſonitus truces
Addit furori. Sauciam ſtringunt cutem
Acuminatâ cuſpide, & prædas agunt,
Totos per artus, ſanguinem lentè ebibunt,
Quem fiſtuloſo terebra corriuat ſinu.
Haud vlla peſtis Tartari grauius furit
Immiſſa miſeris, naribus ſeſe implicans
Arcana cerebri tentat, impatiens rotat
Per teſqua corpus, ſemper & ſtimulos nouo
Figit dolori. Quid loquar muſcas graues?
Quales canina corpora infeſtant, fame
Rabioſa turba; dira ſuccedit lues,
Fuſumque campis molle populatur pecus,
Actus ſub imis perfurit venis dolor,
Sæua pereſum corpus illuuie notans:
Iugalis alto funere oppreſſus labat,
Dulces per herbas egerunt animam boues:
Hinc ima tendunt ilia, & dirum fremunt,
Dentes retecti ſanguine immiſto rubent,
Ingemuit æther, ſtabula mugitu graui
Concuſſa lugent; nec ſatis ſcabies mala
Inuadit artus, omne per pecudum genus
Graſſata

Graſſata primùm ſerpit, hinc ſæuâ viros
Contage ſparſos occupat, totum coit,
Tumetque in vlcus ante quod corpus fuit.
Ad hæc fragore perſonat vaſto polus,
Et nube denſâ fulminum eliſæ ruunt
Alæ per abruptum, ardui montes tremunt,
Et iam malignum cuncta formidant Iouem.
Ingens ab axe tum igne permiſſo venit
Crepitante flictu grando, dat ſtragem ſatis
Latè per arua, ſpeſque tot agreſtum vorat.
Si grando parcit agmine indomito furens,
Surgit locuſta, lacerat attritas opes,
Quaſſa, vſtulata, ſæua prædatrix rapit.
Inferna facies inde tenebrarum incubat
Piceâ inuolutum nocte ſurripiens diem:
Ceu rupta Ditis clauſtra peruadat chaos,
Terraſque inundet. Ternus in cælo meat
Titan ſerenas exerens terris faces,
Caliginoſus ſemper aſt illos premit
Sepelitque turbo, funera Aegyptus ſtupet,
Mæret per vmbras ſimilis vmbrarum cohors.
Fremente cælo, ſi quod expreſſum antea
Fulgur minacis luminis mundo dedit;
Vah! lucis etiam quanta dulcedo eſt malis!

Lucem hanc requirunt; quid moror per tristia
Noctis seueræ nubila, & plagam, & luem,
Armatus hasta perfurit in omnes pauor,
Intratque in ædes: pauperum lustrat casas,
Regisque turres: pignora, infandum! necat,
Quæ prima partu fudit in lucem parens.
Quis illa noctis funera, & stragem impiam
Aequare lacrymis possit? exsortes iacent
Vitæ innocentis paruuli, incendunt polos
Lamenta matrum, viscera heu partem sui
Ferunt in ignes, quantulam partem tamen
Pereditignis, mole collapsa fluens,
Corpus tenellum vulnerum absumpsit rigor.
Dum persequuntur funus incertum patres
Mancipia fugiunt, & per vndosam Thetim
Emoliuntur artibus magicis viam,
Merguntque dominos, proh capax luctus dies!
Rex bellicosus sensit audaces manus
Haustus furenti verticis rubri salo.
Et sic per orbem sæua grassatur lues,
Hominum cruore patrios venerans Deos.
Nunc Imperator, fabricant technas tibi,
Si fors nefandis artibus Taurum induas.
Horribile dictu fateor, at dici iubet

Salus verendi Principis, leges iubent.
Odere soli numen excordes tuum,
Calcantque honores pedibus attritos, sacram
Lucem perosi, conspuunt vultus iubar
Quodcunque in auro promit effigiem ducis.
Et turpe Domino praeferunt Asini caput.
Vis experiri? perfidos tantum iube
Libare thura: tum repentinus furor
A Rege & aulâ perditè auersos feret.
Qualem recepto saepe Bassaridem Deo
Infraenis alta per nemora rabies agit.
NAB. *Quae dira caecis extulit tenebris caput?*
Et purulentâ faece Cocytum vomens
In me, meosque tam graue effudit scelus?
Sic me indecorum perditi infuscant magi:
Sic Sabbathariis fabula, & ludus feror?
Per sceptra iuro, & solis aeternas faces,
Ni me & tiaram, & oris effigies mei
Iam proni adorent, sentient flammas truces.
Proferte grandem in publicum statuam mihi,
Quam nuper auro magna Cyclopum manus
Fusam rigenti proximam eduxit polo;
Hanc plebs citatâ voce praeconis colat,
Huic thura libent Principes, cumque altius

Crebreſcet æris Martius rauci canor,
Effuſa nimbis turba præpetibus ruat;
Hic flore vernet aureo ridens humus,
Hic delicatos temperent cantus lyræ,
Et ara felix thure Panchæo Deos
Eliciat aſtris; ſi mihi cultum negat
Hebræa turba, ſentiet Nemeſin meam,
I, perge præco, perge, da ſignum tuba.

ANANIAS ſolus.

VT ego nefandis taminem ſacris manus?
Vt thura libem Principi? vt prodam Deũ?
Non ſic ab annis ſurgit innocentibus
Traducta virtus per ſacras lauros Patrum.
Egóne probroſis lectus inceſtis? ego?
Vt ſim Tyranni ſacrificus? vt me impiem?
Pudet videre, fateor, extremum nefas.
,, Si non peremit anguis, allapſu nocet.
Et mihi minantur verbera, & flammas truces.
,, Cùm ſic minantur, tunc placent hoſtes mei.
,, Morieris ergo? ſed Dei lex eſt mori.
,, Vitam profundes? quam dedit reddes Deo.
,, Hoc flore primo? floſculos olitor legit.

„Sed ante tempus? quisquis ita moritur, nimis
„ Maturus æui est. Igneo mergi rogo?
„ Durum, fatebor, sed tamen felix malum.
Nec tibi sepulcrum gentis? Heu Babylon tuos
Cineres habebit: perge, restituet Deus.
Abrahame genitor respice è cœlo tuos,
Largire celsæ mentis inuictum decus.

ANANIAS, AZARIAS, MISAEL
Animant se ad constantiam.

IActatur alto nostra iam pinus freto,
Erratque lacero fragmine instabilis salus.
Iuuenes, videtis, quantus hic turbo imminet.
Hinc mors, & illinc: turpis in medio fuga.
Quæ vestra mens? quis animus est? quis spiritus?
MIS. *Adeóne miserum frater afflictis mori?*
Effugia, lenta & exilia memoras mihi.
Adeóne lucis est tenax animus? pudet
Deliberare talia, & pectus fremit
Sui pudoris conscium. Testor polos,
Hoc facere nostrûm nemo tentabit: tamen
„ Vel cogitare puduit, & se ipsa minor
„ Iam facta virtus, quæ tulit nomen fugæ.
Quid facere possint nescio, possum pati.

ANA. *O digne gentis anime, sic præstat loqui,*
Sic arbitrabar frater, ast ætatula
Tua me mouebat.
MIS. *Maior est annis Deus,*
Quicunque robur pectori afflauit meo.
AZAR. *Dulce & decorũ est pro Dei caussa mori.*
(Ni fortè nobis blandior) non est mori.
Cum fracta cecidit patria hostili manu,
Et Solyma cæcâ nocte funestans caput
Luxit parentum filios mixtos rogo:
Incussa cecidit gloria ingentis domus.
O vos beatos, quos suo excepit sinu
Materna tellus! nos feras trahimus neces
Inter prophanos barbari ritus soli,
Interque fastus Principum, atque aulæ nefas.
Exilis anima, tædio at lucis grauis,
Hæret labellis in suam viuax crucem.
Dein hoc putatur tempus, & vitam vocant.
MIS. *Heu seruitutis pœnitet: Magne Arbiter,*
Ecquis misello luxit innubis dies,
Postquam prophanâ sacra temerantur manu?
Et vasa templi, vasa supremi Dei,
Oris Mephiti perditi incestant capri?
Sion pudica mater! ô mater Sion!

Sion meorum summa votorum! omnia
Extincta tecum gaudia, ô mater Sion!
„ANA. *Cælo Sionis mœnia æternùm manent*
„*Extructa viuis lapidibus, & huc est iter.*
Huc rigida virtus erigens animas Patrum
Potentiores, igneo curru tulit.
Et nos secemus orbitam tritam bonis,
Non indecori sanguine, aut inglorij.
„*Quæ prima terris auferet vitam dies,*
„ *Hæc prima cælo deferet mentem dies.*
MIS. *Calcabo mortis obsitas tenebris domos,*
Per ferrum, & ignes, per famem & pestem, & feras,
Per quidquid atrox sæua molitur manus,
Nec me videbit vlla degenerem dies.
AZA. *Eamus ergo, quà Dei numen vocat,*
Afflicta nondum corruit nostra orbitas.
Sion cruoris prodigas mentes habet,
Cruenta Babylon hauriat quantum volet,
Sion cruoris prodigas mentes habet.
MALAZ. *I, perge præco, conuoca rursus viros,*
Videro an Hebræi sacra conculcent pede:
Aut interibunt, aut dabunt victas manus.
ANA. *O execrandum facinus!*

AZA. *O dirum nefas!*
MIS. *Taces in istis summe regnantum Pater,*
Ecquando sæui fulmine ardescent poli
Si nunc serenâ luce pertexis diem?
MAL. *En, en Hebræi iuris exitium sacri.*
Adeste ciues optimi, concurrite,
Prehendite, tenete, rapite, lacerate improbos.

MALAZAR.
NABVCHODONOSOR,
ANANIAS, AZARIAS, MISAEL
Sistuntur Regi.

EN *contumaces, nominis labes tui.*
NABV. *Heu proditores, perfidi, diri, impij,*
Legum sepulcra, machinatores mali,
Sceleris tyranni, & orbis incensi faces.
Ergóne cassos patria, cœlo, ac solo,
Orco dicatas victimas foui sinu,
Vt me nefandis artibus pessundarent?
O vita fallax! frontis ô mendax honor!
Hæc Abramitæ simplices, casti, rudes,
In capita Regum fabricant, proh Dij nefas!
ANA. *Damnare miseros quilibet iniquus potest;*
Tu lenitatis quod fuit semper tuæ,

Audire mauis.

NABV. *Crimen inceſtum audiam?*
Inſolitum, inauſum, immane, truculentum, efferum?

AZA. *Præſtat tacere ſi iubes, atque emori.*

NABV. *Orate cauſſam perfidi, hoc minimè veto,*
Me Rege cauſa nullus indicta cadit.

ANA. *Quis innocentum rumor afflauit decus?*

NABV. *O Innocentes! fabricatores doli,*
Vos hirta Ducibus tergora aptatis feræ,
Agitiſque totis mente furiatos agris.

MIS. *Proh ſancta pietas cælitûm! cur hîc taces?*
Geminumque lumen nube ſuffusâ tegis?
Deferre tantum crimen, & nullo indice!

NABV. *At indicauit veſter hic vates Magus,*
Interminatus belluam Regem fore.

ANA. *Hoc præpotentis fulmen eſt vnum Dei,*
Eripere ſpeciem, quam dedit ſolus poteſt,
Qui fræna caſtis legibus mundi regit,
Haud taminanda fræna mortali manu.
Artes nefandas nullus Iſacidum tenet,
Sed execrantur Tartaro afflatam lucm.
Ecquas in aulâ fecimus veſtra Tigres?
Quis arte noſtrâ, fraudibus noſtris recens

Vlulata fictis arua prospexit lupis?
Vere diserti facile sunt hostes mei,
Queis cuncta solis dicere, & gratis licet.
NABV. *Non perdidistis inclytos Nili duces?*
Non obruistis gurgite Pharônem rubro.
AZA. *Fecit tremendus arbiter Regum Deus,*
Qui facere solus poterat, armauit freta,
Vt hæc periret cæca flagitiis phalanx,
Dum fert in astra scelere pollutas manus.
NABV. *Estis odiosa Regibus cunctis lues.*
AZA. *Odere forsan, qui nimis sua, seque amant.*
NABV. *Edicta Regum temnitis regni incolæ.*
ANA. *Edicta Regum colimus.*
NABV. *Vt statuam meam.*
ANA. *Ego te & orbis Principes tantum colo,*
Quantum merentur, quos Deus iussit coli.
At quando Diuos scenico fastu induunt,
Hoc execrandum facinus, & summum nefas.
NABV. *Scelesta capita, virus incestum stygis.*
Nempe est honestum colere, turpe Asini caput,
Reges Deorum filios contemnere?
MIS. *Hæc Imperator, ludicra, & nugæ meræ.*
NAB. *Quin ergo ad aras concipis nostras, preces,*
Et thure casto debitam exsoluis fidem?

MIS. *Hæc ratio prohibet, patriæ leges vetant.*
NABV. *At iubeo vestris legibus maior.*
AZA. *Tuum est*
Iubere quidquid peruelis, nostrum Deo
Obtemperare.
ANA. *Millies præstat mori,*
Quàm taminari victimis feralibus.
NAB. *Generosa dicta: sed rota, & flammæ truces*
Hos contumaces spiritus emollient.
MIS. *Vis experiri quantus hic animus latet?*
Diuelle corpus.
NAB. *Heu malos perdam male;*
Eripite primum baltheum, & torquem auream.
ANA. *Has Imperator, reddimus bullas tibi,*
Nam militamus maximo & viuo Deo.
NAB. *Mandate tenebris carceris tantum scelus,*
Et comparate supplicia, quæ molior.
Bene est, abunde est, vicimus, vigeant chori,
Fragrent odores, ardeat mensis merum.

CHORVS.

Luxuriem felicitatis, & ſtuporem cordis arguit.

„ QVem fors ſub axes igniferos tulit
„ Currus fugacis culmine lubrico,
„ Et rebus infuſum beatis,
„ Vberibus fouet vſque plenis;
„ Huic pigra noctis nubila ferreæ
„ Oppreſſa cingunt pectoris abdita,
„ Mentemque peruerſam ſupinant
„ Per ſcelera in ſcelus exituram.
Crinita ſæuis impietas hydris
Venena in auro dulcia temperat:
Crudos deinde figit vngues,
Per ſpeculas oculorum adactos.
Tunc dulce lumen perfida ſurripit,
Eradit omnes ex animis metus,
Sanctoſque cultus, & Tonantis
Fulmina de manibus reuellit.
Hinc alta Reges crimina noxios
Mergunt ſub imo vortice funerum:
Obliuioſum perque pectus
Penſa trahunt Furiæ maligna.

Si magna clangat ſyderibus tuba,
Vim ſtare rebus numinis inditam,
Quæ ſæcla & arcano meatu,
Et tacitis regat vſque penſis;
Irridet, aras diſiicit, & ſibi
Sacros honores vendicat impius,
Nomenque faſtis in Deorum
Scribit ouans hominum cruore.
Extorquet iſtud ſæua neceſsitas,
Plumbum & cataſtæ, & tot Lipares rogi,
Et turba adulans per fauores
Seruitium ruit in pudendum.
Sed terna fratrum pectora numinis
Signant triumphos in mediis focis
„ Pauente flamma: per rubentes
„ Sic pietas dominatur æſtus.
„ Obſeſſa flammis purius emicat,
„ Et ſe beatis ſuppliciis colit:
„ Fornace ſic aurum æſtuanti
„ Purpureos iaculatur ignes.

ACTVS QVARTVS.

BALTAZAR, ANANIAS, AZARIAS, MISAEL

Reuocantur à consilio mortis subeundæ, sed frustrà.

HEu vis amoris! vlcerat pectus dolor;
Etiam ad catenas venimus? ad hunc carcerem?
Heu quàm recenti turbò detonuit malo!
Iuuenes pudici, quod loquor, amicus loquor,
Per charitatem gentis ego vestræ rogo,
Per, si quid vnquam dulce de nobis fuit,
Nolite lucis tædio ferri in scelus.
ANA. *O parce Princeps durius si quid querar;*
Sed fata cogunt dicere, ingratos facis.
Tu nos egenos, exules, miseros, vagos,
Fouisti in aula pectori affusos tuo.
Nunc vna mentem cura sollicitat piam,
Quod nos amore cogis ingratos mori;
At mortuorum viuit, & spirat cinis,

Nec vnus adimit omnium sensum rogus:
Gratus feretur animus ad purum locum,
Tuique amorem mortui cineres alent.
BALT. *Haec me cruentăt verba, cur ista obsecro*
Meas ad aures personant? dignus ne ego
Qui cuncta dura sorbeam, quod vos amo?
Nunc laeta plaudit aula, vos obtruditis
Lauris cupressos, mittite indignum nefas,
Viuere potestis, & decet: quis vos furor
Per dira lucis odia praecipites trahit?
MIS. *Commune donum est vita muscarũ, simul*
Hominumque, cuius tota iactura est leuis.
BALT. *Sed hos honores spernere, hoc vitae decus?*
,,AZA. *Haec pulcra scenae futilis tectoria,*
,,*Quae fida paucis congerit sortis manus,*
,,*Rerumque versat semper instabilis rota.*
,,BALT. *Qui proiicit vitam, haud honestè vixerit.*
,,MIS. *Proiicere nũquam placuit, at profundere.*
,,BALT. *Quisquis lacessit fata non sanus perit.*
,,MIS. *Pars sanitatis prima pro caelo mori.*
BALT. *Quis vos supremi auellit à cultu Dei?*
ANA. *Qui dira ferre thura simulacro iubet.*
BALT. *Tanti est honorẽ reddere hunc patri meo?*

ANA. *Tanti est honorem detrahere viuo Deo.*
BALT. *Parete monitis; esto, facietis metu,*
Veniam meretur quidquid extorquet timor;
ANA. *Timor est probrosus qui Dei soluit metũ.*
BALT. *Num curiosus carnifex vester Deus,*
Qui leuia plectat crimina æternis malis?
ANA. *Temnere supremum Numen haud res est leuis.*
BALT. *Simulate saltem prouidè.*
AZA. *Vt simulem scelus,*
,,*Scelestus est quicunque simulauit scelus.*
BALT. *Stat ergo fixum perpeti immites rogos.*
ANA. *Stat gloriosè pro Dei causa mori.*
BALT. *O pertinacis ferreus mentis rigor!*
Ego Leænas flecterem, atque orbas Tigres.
Ego si æstuosæ funderem Syrti preces,
Tamen dolori redderet questus pios.
Vos mea voluptas, mixtus & curis amor,
Sic obseratis corda per summum nefas,
Et ista merui perditus quod vos amo.
AZA. *Heu mitte, Princeps, mitte crudelem ambitum,*
Sumus beati, pergimus Domino auspice
Quà sempiternæ syderum rutilant faces,
Et

Et seruitute liberi, & similes Deo.
BALT. *Et vos aniles fabulæ ludunt? sat est.*
Vos cogitate, tempus hoc lucro datur,
Flammis necari nemo non durum putat.

NABVCHODONOSOR,
ANANIAS, AZARIAS, MISAEL,

Tres pueri addicuntur fornaci.

P*Arata sæuis busta suppliciis crepant,*
Vndatque fornax fusa liparæis rogis:
Desipere vultis? sapere iam tempus iubet,
Iubet timere monstra pœnarum noua.
ANA. *Perge, Imperator, impotens si te furor*
Fecit tremendum, Numen intrepidos facit.
NABV. *O dura gentis capita! inauditum nefas!*
Quis non pauescat ignis ardentis globos?
Quis non tremiscat? ni magus sit, vel Deus?
Sic arte vestra surgit ingenium ferox
Audaxque in ignes, magica tentatis sacra,
Sed nulla flammas sopiet Ditis manus.
AZA. *Flammarum habenas Numen æternum regit.*

NABV. *Eripiat ille quisquis est cælo Deus.*
MIS. *Deus? heu pudorem! cuncta vel flatu potest*
Hic dissipare; creuerint incendia
Supra æstuantis perpetes Aetnæ rogos,
Restinguet vnâ guttulâ roris Deus.
ANA. *Sed esto, flamma corpus absumet vorax,*
Mens sancta nescit ignibus cæcis premi.
At hæc soluta corporis nexu graui,
Pennâ decoras præpeti nubes secat.
Tu lacera trunco membra deformi abripe,
Immerge rapidi frusta vorticibus freti;
Vel vt minaris vre crepitanti rogo,
Hæc vsta, sparsa, mersa, restituet Deus.
NABV. *Lymphata rabies corda per cæcum rapit.*
AZA. *Et hoc furorem credis? at peius furit,*
Quicunque fragilis tenue figmentum luti
Dei tremendos arrogat titulos sibi.
Heu, Imperator, quàm grauis tuus est stupor!
Ideóne mundi sceptra donauit Deus,
Vt impiatâ mente contemnas patrem,
Vt te colendum præbeas mortalibus,
Vt maceratos sanguine, & tabo oblitos
Nobis colossos ingeras? valeant Dei
Quoscunque fabricat stulta fictorum manus.

Dein minaris, increpas, terres, tonas,
Si quis pudendos fictiles exsibilat.
Minare quantum te tuus cogit furor,
Exscinde ferro quam potes linguam, tamen
Auulsa nomen dulce clamabit Dei.
NABV. *Fanaticorum rabidus vt ludit dolor!*
Auferte, rapite, tollite, & succendite.
ANA. *Quæso Imperator, tune succendi iubes*
Vt proditores, vt magos, vt perfidos?
Testor flagrantis auream solis rotam,
Iugique cursu cuncta torquentem Deum,
Morimur honestè, cadimus in causa Dei.
Hoc terra, cælum, & inferi, & superi audiant,
Non proditores, non Magi, non perfidi
Morimur, honestè cadimus in causa Dei.
NABV. *Dilecte cælo pariter, & terris, puer*
Vides furore percitos fratres tuos:
Eant in ignes si velint fanatici,
Tu fac quod iste postulat roseus decor,
Diuesque fandi copia, & mores probi.
MIS. *Quod mente leuâ pronus admisi scelus,*
Vt me Imperator callidâ tentet prece?
O si quid egi, pœnitet, veniam date,
Vestros, beati, fusus amplector pedes.

Ne me relicto pergite astrorum viam.
ANA. *Quid te relictum quereris, ô frater, veni,*
Veni beate, quò Deus famulos vocat,
Mors vna ternos iunget exitio pari.
NABV. *Ite & sceleftos protinus comburite,*
Nam regnum, & aulam peste funestant suâ.

DANIEL, ANANIAS, AZARIAS, MISAEL,

Daniel eos animat ad supplicia.

ABsterge lacrymas Solyma, & illuuiem comæ,
Situsque turpes flore vernanti preme.
Bene est, triumphas capta, & augustâ manu
Iactantiores explicas palmas polo.
Iuuenes beati, lumen afflictæ domus,
Ite, ite fortes quà Dei Numen vocat,
Hæc est ad astra mentibus magnis via.
O sol beate! si vides iuuenes pios
Consiste vt olim cælo, & alipedes premens,
Specta triumphos nobiles gentis meæ.
Abrahame genitor explica totos sinus,

Ad te per ignes fulgidi heroes ruunt,
Tui nepotes genitor, & verè tui.
Per vos beati præferox Babylon ruit,
Per vos beati Solyma reuirescit mea.
Per vos beati purius cælum micat.
Quot vos ab alto cælites spectant polo!
O quot parentum gestiunt animæ leues!
Vestras in vlnas, quot sequuntur posteri!
Numerosiores æthra vix omnes capit.
MIS. *Liquefacta cæli corda succendit vapor,*
Feruetque virtus, nec suos ignes capit.
Mihi deinde busta Cyclopum crepent
Totisque fusus sæuiat Phlegeton rogis.
Hebetare cuncta maior aggreditur Deus:
AZAR. *O mors meorum summa votorũ vnica!*
Ego perosus barbari ritus soli,
Tuas in vlnas præpes vt volucris ruo.
O mors beata, dulcis ad cælum via,
Tu sola frangis carcerem, & REGUM *minas,*
Tu morte mortis eripis sensum piis.
Dulce & decorum est pro Dei causa mori,
Solymæ iuuentus, disce virtutem patrum,
Disce has trophæi quas habent flammæ notas.
Dulce & decorum est pro Dei causa mori.

ANA. *Quin Sæua Babylon vnguibus sulcat cutem?*
Quin Scorpiones armat in nostrum latus?
Quin igne lento membra torreri iubet?
Ah! si liceret mortibus centum emori,
Animasq; centum fundere expressas Deo,
Tunc mihi beatus lucis excessus foret.
SATELL. *Satis est, querelis figite his tandem modum,*
Imperia Regis non ferunt segnes moras.
DAN. *Valete dulces animæ in amplexu meo.*
MIS. *Cur ora lauit fletus? O sacrum caput,*
AZAR. *O Sancte vates.*
ANA. *O meum lumen vale.*
DAN. *Heu si valere patria extorris potest,*
O Solitudo! & orbitas vitæ grauis!
Quousq; durum corporis pondus feram?
ANA. *Solare fratrum lacrymas, namque, vt vides,*
Tu sola restas anchora in tantis malis,
Arx, ara, portus, lumen, & columen tuis;
In te recumbit pondus afflictæ domus:
Da te tuis; da te tibi, da te Deo.
DAN. *Valete fratres heu mei, non iam mei.*

AZA. *Tui feremur quandiu stabit polus.*

ANA. *Supreme rector respice in gentem tuam,*
Conde heu! minacis igneum teli iubar,
Et nos serenâ frontis irradia face.
Vides egenos, exules, inopes, vagos,
Ramenta terræ, gentium ludum & pilam.
Quousq; tandem genitor in stipulas furis,
Quas igne rapido flammeus turbo vorat?
Squallore mersam perditæ matris domum
Respice benigno lumine, aut si quid pater,
Si quid minaris, si quid iratus tonas,
Conuerte cuncta fulmina in nostrum caput.
En consecramus corpora in mediis focis,
Hoc thure Babylon ad tuas aras litat
,,Hebræa tellus: victimas tales amor
,,Fecit Tonantis. Magne cælituum Parens
Nostro cruore noxiam gentem expia,
Et parce Regi, mentis hic furias truces
In melius olim vertet, & metuet Deum.
Fratres eamus quò reos lictor vocat.

MALAS. ANA. ASAR. MIS.

Inijciuntur in fornacem, permanent intacti.

ETiam moraris lictor? & viuunt magi?
Suoq; vultu Solis incestant facem.
ANA. *Malasar quid vrges? iam licet votis tibi*
Potiri abundè, morimur indicio tuo,
Sed innocentes, inscij, puri, integri.
Nouit Deus, qui iudicat magno foro.
Satiare tandem, cladibus nostris ferox,
Satiare tandem si vlla te satias capit.
MAL. *Heus perge lictor, perge, quid nectis moras?*
LICT. *O proditores ad rogum, miseri ad rogum.*
MIS. *I, pede fausto venerande puer,*
I, pede fausto dilecte Deo,
Quò te virtus ignea ducit.
ANA. *Valete fratres, pergo iam Domino auspice.*
Fortis Deus, Fortis Deus, Fortis Deus.
MALAZ. *Heu monstra sorpsit flamma lictorem meum.*

O viperarum germen! ô capita Excetræ,
Et vos nefandis artibus proluditis?
Perge ad secundum, furcifer, perge ocyùs.
AZA. Sanctus Deus, Sanctus Deus, Sanctus Deus.
MAL. *Etiamne sorpsit alterum vortex? Dij!*
O Dij! quid ista flamma se trudit focis?
Animata magicis artibus, credo, legit,
Legit ipsa corpora, & cremat quidquid legit.
Scelerosa capita, busta Tartareæ Domus,
Quousq; tandem furitis in nostras neces?
LICT. *Heu contremisco.*
MAL. *Perge execrande, quid retrò flectis gradum?*
Perge execrande, num vides ista mora
Vt se minaces acriùs gyri rotant?
I, merge flammis, merge sceleratam luem.
MIS. *O ter beati, siue vos ignes pauent,*
Siue aula cœli corpore exutos tenet,
Aeterna patriæ decora fratres mei,
Respicite quæso conscium vobis caput,
Respicite fratrem, suscipite vestrum in chorum.
Magnus Deus, Magnus Deus, Magnus Deus.

MAL. *Actum est, scelesti cuncta vicerunt magi.*
O dira fata! ô ferreum sydus meum!
Dehisce terra, meq́ miserandum abripe.
Nunc monstra, nunc ingruite, nunc flammæ truces
Vorate, miserum opprimite, pressum extinguite,
Pudet tueri lumen, & tædet mei.

Cantus Trium puerorum in fornace.

Canite ô pubes inclyta Patrem,
Quem picta tremunt cærula cæli,
Quem flamma pauet, ceditq; vorax,
Lambens aureo fornice crines.
Quis mihi lenes ventilat auras?
Quis Vulcania tela refringit?
Mitibus ignis ridet Zephyris,
Atque incendia rore madescunt.
O digne Deo, quicumque teris
Armata rogis robora mortis.
O digne Deo, quicumque manu
Flectis rapidas ignis habenas.

NABVCHODONOSOR, TRES PVERI

Egrediuntur è fornace.

ET vnde ad aures cantus emanat meas?
Dij monstra! quid video? viuunt, valent,
Ludunt in igne, & flamma cameratis globis
Enixa sursum lambit intactam cutem:
Tangere veretur conscium numen pauens.
Num tres cremari iusseram ardenti foco?
Et vnde quartus ore cœlituum nitens?
Mundi repertor, magne flammarum arbiter,
Tuas ad aras flecto submissum caput,
Tibi coronæ regium pono decus,
Tibi tiaras, aureum pondus tibi
Sceptri rependo, cerne concussos lares:
Regniq; firma numine inuicto gradum.
At vos beati dira quos rabies rogi
Reflexa trepidat, cæca fornacis caua
Sinite, aduolate subitò in amplexus Ducis:
Vt vos in vlnis lætus amplector meis,
Vt laureatas osculis libo comas.

Iuuenes beati, quæ Tethis, quis me eluet
Oceanus altō pectori immissus freto?
ANA. *Dominator vnus eluet crimen Deus,*
Qui te, tuosq; seruet intactos rogis.
Iam præpotentem patris agnoscis manum,
Qui sopit acres ignium iussu minas,
Tu illum verere, tu illius numen paue.
NABV. *Verè est tremendus vnus Isacidū Deus,*
Quem vos vereri supplici cultu volo.

CHORVS

Miraculum celebrat.

Rerum parentem dicite, cælitum
Magnæ phalanges, dicite Principem,
Qui fæta puris astra flammis
Igniferis manibus coercet.
Huic templa latè cærula seruiunt,
Nubesq; curuo fornice subsident,
Dum per flagrantes officinas
Horrisonos meditatur ignes.
Huic terra pictis floribus illigat
Mites corollas, huic fluit vuidus

Nereus, & exultat liquenti
Squammigerum vaga turba mundo.
Hic vos in ipsis supplicijs beat,
Nec fabulosa tollit adorea,
Dum flammâ adulans vos coronat,
Syderibus meliore flammâ.

Anapæstici.

O semideum generosa trias!
O contermina pectora cœlo!
Calcate gradu Tartara forti,
Quacunq; vocat purior aura.
Vos Mulciberi flamma veretur,
Erratq; vagis sinuosa globis,
Nec cœlestia pectora lambit,
Calcate rogos, calcate neces.
Ite beati, frangite quassas
Orci furias, frangite ditem
Ad vos diuite properat curru,
Nectitq; pias gloria lauros.

ACTVS QVINTVS.

NABVCHODONOSOR,

Iterum ſpreto Deo intemperanter exultat.

CONSVRGE *ad aſtra gemmeis Babylon rotis,*
Faſtigiata laureis centum caput.
Conſurge ad aſtra, tota compages poli
Soluta ſede quærit amplexus tuos.
Vide quot vrbes aureo curru trahis,
Vide quot orbis te reformidant plagæ.
O diua Babylon, lucidum mundi decus,
Tu ſola terris ætheris ſpeciem refers.
Iactet ſe in aula quiſquis eſt cœlo Deus,
Pictiſq; frænis flectat aſtrorum globos:
Mihi ſola Babylon mundus eſt, cœlum & dea.
Hanc excitaui regiâ eductam manu,
Hanc replicatis mœnibus cinxi potens,
Hanc eminentem nomine, atq; opibus dedi,
Hanc vrbem in vnam quidquid eſt orbis tuli:

Celebrate ciues ritè natalem Deæ,
Efferte nomen nobile, & dignum suâ
Quod fama in auro pingat intexens acu.
Mihi curules aureæ radient, mihi
Lacerna flagret imbre sarrano grauis,
Et candicanti luce perstringat diem.
Stat explicare diuites gazas patrum,
Instruere longas regio luxu dapes,
Lucemq; nube floreâ prætexere.

ANGELVS.

NABVCHODONOSOR,

Rex increpante Angelo bouis induit speciem.

ADSVM *flagranti turbine emissus rotæ,*
Cæli satelles flammeus, sub quo labans
Longum fragoso terra mugitu fremit.
Mecum pauores crine ferali rigent,
Mecum Megæra mæsta laruales genas,
Mecum phalanges funerum densæ ruunt:
O turpe, vecors, barbarum, incestum caput!

Iam contremisce Numen æternum pauens,
Iam contremisce Nemesin iratam Dei.
Senile monstrum, virus in cælum vomis?
Expers pudoris, nominis, mentis, tui:
Impure gurges, Scylla nauifragi salis,
Tu taminato mollium incinctus choro,
Ebrias amomo fasciâ redimis comas,
Longumq́ syrma vestis auratæ trahis.
Largo deinde flumine absorptus meri,
Congesta mundi viscera in ventrem voras.
Sentina perge criminum infelix, parum est
Potare in auro sanguinem plebis, parum est.
Tune execrandi ponderis molem auream
Erigis in altos fornices cæli minax?
Tu supplicari thure, tu fidibus tibi
Passus feroci mente conculcans Deum.
Dein innocentes pabulum flammæ ingeri,
Et digna cælo membra carnifices pati!
Sed flamma fusos pauida compressit globos,
Deumq; nouit, nosse quem regem pudet;
Tu ponto & igne sæuior semper furis,
Tentasq; numen trahere detortum polo.
Audite cæli, vosq; stellarum chori.
Quicumq; puras spargitis cælo faces.

Audi,

Audi intremisce terra ad obtutus meos.
Audite Reges maior est vobis Deus.
Audi impiate quod Deus dici iubet.
Per me rotatur vasta compages poli,
Et ima nutu regna firmantur meo.
Difflabo cælos halitu? iam non erunt.
Vram? liquescent flammeo vndantes rogo.
Feriam? dehiscet terra in abruptum chaos.
Immergam? aquarum vortices densi ruent,
Et fluctuanti mundus horrescet salo.
Tu deinde vecors tu mihi bellum paras?
Ideóne Regem maximum terris dedi?
Ideò triumphos in tuum effudi sinum?
Spoliare regno, pone gemmatas opes,
Regale sceptrum, & capitis excelsum decus,
Pone ô sceleste. Vindicem sentis Deum?
Te fulminantis magna de cælo manus
Vt contumacem turbine illiso ferit.
Iam contremiscis ô miser! non est satis.
Rationis expers, exulem vitam trahes.
Iterum expauescis degener? non est satis.
Tu belluinus corpore, atq; animo ferus,
Squallore tetros obsitus turpi pilos,
Hospes ferarum perditus latebras petes.

Sic ſempiternus ordo fatorum iubet,
Sic fata voluit maior in magnis Deus.
NABV. *Heu, Heu, Heu, Heu.*
MALAZ. *Heu monſtra! dira monſtra! quid video miſer,*
Cur Imperator ſceptra conculcat pede?
Quid capitis apicem poſuit illiſum ſolo?
Quid ſe volutat puluere, & cœno grauem?
O Rex verende quid facis? noli obſecro,
Noli serenæ frontis auguſtum iubar
Fœdare cinere, ſume gemmantem togam,
Impone capiti regio ſolitum decus,
Memento te Regem, memento te virum.
NABV. *Heu, Heu, Heu, Heu, Heu, Heu.*
MALAZ. *Quæ dira Erynnis nexiles ſpiras rotans,*
Irrepſit alto pectori tanti Ducis?
Vt faſcinauit perditum, extorrem, vagum,
Sauâq; rabie pectus inſtinxit furens!
Magnanime Princeps ſiccine agnoſcis tuos,
Ego fidelis regij ſeruus laris,
Ego Malazar, porrige inuictam manum
Quid me minaci fronte crudelis petis?
NABV. *Heu, Heu, Heu, Heu, Heu, Heu.*

MALAZ. *Erumpe stygijs vecta per mundum rotis,*
Erumpe facies noctis, absorbe iubar.
O qui rotatos per polum currus vibras,
Emitte tenebras, pereat hic orbi dies;
Etiamne ludunt perditi in tantis malis.

BALTAZAR, CHORVS PRINCIPVM VENANTIVM.

Filius à venatione recens patris casum accipit.

DIRIGE *fausto tramite cursûs,*
Nemorum cultrix magna virago.
Tibi læta fremit iuuenum turma,
Atque torosis nixa lacertis,
Læto vibrat spicula ferro.
Ite per altas præpete cursu
Currite syluas, quacunq; cadit,
Pronior vmbra, quacunq; gelu
Riget argenti purior vnda,
Quacunq; feras secreta tegunt
Antra latentes.

Iam mihi gestit manus impubis,
Rumpunt acres vincla Molossi,
Atque impatiens animus prædam,
Frustra rictu captat hianti.
Iam mihi rauco cornua bombo
Referunt grati ludicra Martis,
Iam puluereis glomerata rotis,
Surgit cœlo concita nubes.
Quid tu deside marcida luxu
Otia quæris Veneris turtur?
O mitte rosas, lilia mitte,
Pressasq; comis balanos, mitte,
Dyctinnæ vocat alea dextram.

MALAZ. BALTAZAR, CHORVS PRINCIPVM.

O *Mitte princeps, mitte venantum plagas,*
Non ista tempus postulat spectacula.
BALT. *Non ista lucem verba genialem decent.*
MALAZ. *O dura fata! fata plusquam ferrea.*
CHORVS. *Heu, Heu, Heu, Heu, Heu.*
MALAZ. *Dira, tetra, execranda, miseranda, horrida.*

BALT. *Heu quid repentè furia turbauit domi?*

MALAZ. *Læuum! pudendum! terribile! sæuum! efferum!*

BALT. *Quid fluctuantem distrahis mentem? ocyùs*
Effare casus. Saluus est genitor meus?

MALAZ. *Verè attigisti Baltasar genitor tuus.*

BALT. *Age, dic repente num meus viuit pater?*

MALAZ. *Salutis expers, impotens exul sui.*

BALT. *Quæ nos Erynnis turbine infesto ferit?*

MALAZ. *Ah luctuosa! iniqua! ineluctabilis!*

BALT. *Heu quæ Megæra Tartari erupit specu?*

MALAZ. *Nescio, sed alto pectori iniecit faces*
Tui parentis; Exuit Regem, & virum.
Rabida phrenesis pectus indomitum quatit,
Et sibi videtur bellua infelix senex.
Hunc dura lucis tædia, & frendens dolor
Agunt in alta præpetem nemorum iuga.
Heu modo cruentis faucibus spumam egerit,
Et modo fragore vocis insolito fremit;
Modo nuda plangit pectora ingenti manu,
Modo membra laniat sæuus, & partem sui
Euiscerato corpore affligit solo.

NABVCHODONOSOR, BALTAZ. PRINCIPES.

NABV. HEV, *heu, heu, heu.*
BALT. *O Dij quis horror, hiccine est genitor meus?*
CHORVS *Heu, heu, heu, heu, heu, heu.*
BALT. *Hoc illud altum frontis augustæ iubar?*
Hæc illa ceruix digna Stellanti polo?
Quin mundus in me cardine effracto ruit?
Quin me ruinis obterit flagrantibus?
Hoc est triumphi ferculum summum mei.
Egóne gelidæ regna penetraui plagæ?
Egóne segetes ferreas triui potens?
Egóne rabiem fluminum armatam notis,
Et sæua toties monstra Neptuni tuli;
Per mille mortes integer, tantum vt meis
Forem superstes mortibus? quò te rapis?
Morare genitor: quem fugis? pater! ô pater!
Morare quæso, non vides hostem pater.
Natus tuus ego sum, pater, natus tuus,
Da, da senile corpus amplectar, pater,

Da da cruorem lacrymis nostris lauem.
NABV. *Heu, heu, heu, heu.*
CHORVS. *Miser heu Princeps! miser heu Princeps!*
Miser heu genitor! miser heu fili!
BALT. *Bene est, teneo te genitor amplexu meo.*
Hoc est furentis dulce solamen mali.
Agnosce natum genitor, ô Pater! ô Pater!
NABV. *Heu, heu, heu, heu.*
BALT. *Hic est triumphis debitus nostris dies*
Post tot trophæa, & laureas teneo sinu
Euisceratum corpus extincti patris.
O Sancta ceruix! ô manus! ô lumina!
Vt penè totum mole collapsa fluit.
O Dij videte si quid est cœlo pium,
Hæc nostra pietas meruit? ô Pater! ô Pater!
NABV. *Heu, heu, heu, heu, heu, heu.*
BALT. *Abit furenti mentis excussus salo,*
Et aure surda respuit nati preces.
O qui coruscas fulmina in Regum caput,
Satis est triumphos obrui tantis malis.
Concede saltem obsecro, vt infelix pater
Artus seniles brachijs credat meis,
Vt efflet animam fessus in sobolis manus,

Vt hoc paternos sepeliam cineres sinu.

ARTIBA. MALAZ. NABVCH. BALTAZ.

Vincitur in phrenesi & miserabiliter queritur.

QVIS *ista siccis videat immotus genus?*
Rapitur in altas genitor infelix specus,
Quacunq; dirus pectus instinxit furor,
Aequatq; passus filius patris comes,
Vterq; fertur concitus rabie haud pari.
MALAZ. *Ecquæ supinis rebus affulget salus?*
ARTIB. *Neu plura mentis insolens peccet furor,*
Agatq; præceps corpus in subitam necem,
Est vinciendus, arte si qua fors potest.
Ecce, ecce rediit: præstò sint vincla, ô viri!
Generose Princeps, respice in ciues tuos.
Nos reris hostes, satrapæ fidi sumus.
NABV. *Heu, heu, heu, heu, heu, heu.*
O proditores, perfidi, execrabiles. Ligatur.
ARTIB. *Quiesce Princeps optime, ô tantum precor*

Quiesce, nullus quem putas, nullus dolus,
Miserere nostri, redde te tandem tibi.
NABV. *Me confici me me à meis in regia!*
Hæc est fides.
Fili quid egi perditus? cur me enecas?
Si me tremendus belluam fecit Deus,
Ideóne iussit confici à nato patrem?
Esto execrandus exui Regem, & virum.
Nunc turpe monstrum factus, & solis pudor,
Sed vir fui quondam, fui Rex & Pater,
O Balthasar fili, fui genitor tuus.
Per sacra iura nominis fili mei
Miserere, noli polluere castas manus
Sanguine parentis. quam mihi iudex meus
Vitam reliquit, eripere non est tuum.
BALT. *O dulce nomen; quis tibi vitam velit*
Eripere? quantùm te tuus ludit furor!
Venerande genitor osculor canos tuos,
Meisque lacrymis perluo, tantum precor.
Agnosce natum, non ego quem tu paues
Sum parricida, patris at natus pius.
Abiecta sume sceptra regali manu,

Quoscunque titulos sustines genitor scio,
Dominum, parentem, maximum regem,
Deum,
Vereri, amare, colere, venerari expeto.
Hac vna spirat cura visceribus (Pater)
Tuos vt annos augeas annis meis.
NABV. *Fruere beatus, opibus, & sceptro patris.*
Iacta te in aula regia quantum voles,
Vtinam parente perdito felicior.
Et me relinque debitum comitem feris,
Relinque miseram belluam fato suo.
Ibo per altas ilices semper vagus,
Ibo per antra sessili musco obsita,
Densis senile vepribus corpus rigens.
Valete tecta regia, & magni lares.
Valete satrapa, Baltasar fili vale.
Verende, formidande, ineluctabilis.
Tu me potenti deprimis quassum manu:
Nam me ferocem belluam exagitant viri,
Regemque nuper respuunt comitem fera.
Ipsique, quos paui canes dominum allatrant,
Totumque diris morsibus corpus secant.

Quæ terra? quæ me maria suscipiant sinu?
Quis ille cultros acuit in iugulum meum?
Heu, heu, heu, heu.

BALT. *Iterumne vinclis durus excussis fugit?*
O cruda facta, genitor! ô luctus meos!
Cessant querelæ, & lacrymæ in tantis malis.

CHORVS
PRINCIPVM
Lamentatur.

LVGEAT *æther, pronoq; cadens*
Sydere Titan largo humectet
Lumina fletu; Rorent lacrymis
Vndiq; campi, vastosq; Tigris
Voluat querulo murmure fluctus.
Flemus casus miserande tuos,
Collisa sonant pectora palmis,
Et suspiria corde tumescunt.
Nuper Babylon tibi tota fremens,

Plausit pulcris crinita rosis,
Nunc atra gemit, gaudetq; comis
Heu ferales repere taxos,
Hæc solatia lenta doloris.
Flemus casus miserande tuos,
Flemus Regem, flemus Dominum,
Flemus miti pectore patrem.
Quæ vis æstuat indita venis?
Quæ trux rabies versat & angit
Pectora tantis obsessa malis?
Heu tune feris datus es socius?
Plangat tellus, sydera plangant.
Corruit alti columen mundi,
Sol terrarum Nabuchodonosor.

DANIEL, BALTAZAR.

IMPONE *tandem questibus longis modum,*
Miserande Princeps, hæc Dei fecit manus,
Qui capita Regum ferreis virgis terit.
Obsecro lacertis tune torrentem rues?
Sanabit olim vulnus inflictum Deus,
Et sceptra Regi reddet, & mentem viro,
Septena postquam sole flauescet Ceres.
BALT. *Heu septem in annos hæc patrem rabies manet?*
O ferreorum dure fatorum rigor!
Tædet videre solis æternum iubar,
Valete regna funerum tectoria,
Valete sceptra pondus ignauum manus,
Ibo, ibo in alta montium solus iuga,
Ibo in latebras quà genitor vlulat meus,
Et belluinus belluam amplectar patrem,
Et madida sugam vulnera, & longo fremens
Gemitu iterabo nemoribus luctus meos.
CHOR. *Heu! heu! heu! heu!*
Miser heu Princeps! miser heu Princeps!

Miser heu genitor! miser heu fili.
DAN. *O qui doloris vortices miseros rotant!*
Timete reges magna terrentem Deum,
Timete populi magna vertentem Deum,



FELICITAS,

TRAGOEDIA.

ARGVMENTVM.

MVlierem fortem damus in hac Tragœdia. Hæc eſt *Felicitas* quæ à S. Chryſologo appellatur *Mater luminum, fons dierum, quæ ſeptenario coruſco germinis ſui toto orbe ſplendet. Felix quæ meruit portare tot virtutum pignora, quot illa arca præceptorum volumina ſacrata geſtauit: & vt illa verbo, ita hæc doceret exemplo.*

Paſſi ſunt Martyres ſub M. Aurelio Antonino, & Præſide Publio, matre ſingulos nauiter hortante. Diſcurrebat enim vt ait os illud aureum, lætior inter confoſſa cadauera, quàm inter cunabula chara filiorum, quia internis oculis tot cernebat brauia, quot vulnera: quot tormenta tot præmia: quot victimas tot coronas. *Ipſa deinde cùm ſua membra præmiſiſſet cælo, interiectis aliquot menſibus, agonem martyrij conſummauit.*



Oeconomia Tragœdiæ.

ACTVS PRIMVS.

A*NICETO summo Pontifici procellam crudelitatis, quæ in Christianos toto iã orbe detonuerat, cũ Euagrio grauissimè deploranti, afferuntur per Crispum nobilem Palatinum à S. Felicitate iam cum filijs captiuâ, literæ, quibus ille suauissimo caritatis sensu delibutus, Martyres se inuisurum pollicetur. Interim Pontifex idolorum, & Apollo Procus acerbissimâ iracundiâ in Felicitatem commoti, tùm quod ritus Ethnicorũ Pontificum damnaret, tùm quòd Virginibus castimoniam suaderet, apud M. Aurelium Imperatorem, Martyrum cædem versuto consilio machinantur.*

ACTVS SECVNDVS.

M*. AVRELIVS Imperator vt erat leni ingenio rem mollioribus consilijs adortus, sibi Felicitatem sisti iubet, cuius constantiâ frustrà per blanditias tentatâ, tres natu*

minores filios aduocat, quos à matre anteà corroboratos, cùm variis verborum lenociniis à Christianis sacris auocare conatus esset, mox reluctantes, cum delicato nobilium grege in aulam interiorem mittit. Quatuor deinde reliquos natu maiores inter pompæ, & ludorum qui tùm exhibebantur celebritatem, delicijs & muneribus peruertere nititur: recusantibus, fratres ait iam sacrificasse: quod illi confictum scelus dum execrantur, repentè Germani in eorum complexum aduolant, omnesque vnà in carcerem remittũtur.

ACTVS TERTIVS.

IMPERATORI *de Martyrum supplició deliberanti, Pontifex & Apollonius crudelissimi consilij faces ingerunt. Ille Publio vrbis Præfecto rem disceptandam tradit; qui & suo ingenio sæuus, & aliorum consilijs stimulatus, Felicitatem in forum Martis produci, ibique thus adolere præcipit: Sed dum illa oraret, tactâ de cælo Martis statuâ funesti dæmones exiliunt. Publius commotior factus, illustrem matronam ad palum alligari, & à militibus ve-*

xari iubet. Mox eius septem filios parentis hortatu in fide constantes acerbissimè torqueri, & cruentari sub ipsius matris oculis imperat, vulneribus deinde deformatos trudit in carcerem.

ACTVS QVARTVS.

PONTIFICE *idolorum, & Apollonio, linguæ flabello inuidiæ flammam ventilantibus, capitalis ab Imperatore fertur in Martyres sententia, resque Publio, & cæteris iudicibus transigenda committitur. Anicetus summus Pōtifex noctu Martyres inuisit in carcere, quos iam gloriosis vulneribus illustres, & proximæ morti destinatos suauissimè deosculatus ad constantiam hortatur. Carcer interim magno splendore collustratur, & cælesti voce Martyres ad supremam necessitatem animantur. Crispus dum inter amplexus Martyrum diuturnas moras trahit, à Publio deprehenditur, & in vincula conycitur.*

ACTVS QVINTVS.

SEPTEM *fratres vno animo, diuersis verò suppliciis gloriosissimum agonem clau-*

dunt. Et primum quidem Publius Ianuarium septem fratrum natu maximum, ad se accersitum cruciari iterum iubet, donec inter plumbatas paulatim exhauriat spiritum. Mox illato iuuenis corpore adhuc spirante, Felicem, & Philippum frustrà mortis impendentis metu terrere conatur; ambo enim ex demortui fratris complexibus alacriores ad supplicium deuolant, & fustuario mactantur. Matri deinde tria filiorum cadauera obijciuntur, quæ summâ suauitate complexa, quartum nomine Syluanum præcipitio interficiendum dimittit ad necem. His funeribus interueniens M. Aurelius matrem suauissimis verbis mulcet, vt tres natu minores adhuc superstites è mortis faucibus eripiat: Verùm hortante matre iuuenes securibus percussi illustrissimum certamen sub ipsius conspectu conficiunt, & mox ex cælesti nube conspicuæ demortuorum animæ Parentem suauissimè consolantur. Illa Imperatoris iussu catenis iniectis martyrio quod aliquo post tempore consummauit destinatur.

PERSONÆ.

ANGELVS.
ANICETVS summus Pontifex.
EVAGRIVS Sacerdos.
FELICITAS.
IANVARIVS.
FELIX.
PHILIPPVS.
SILVANVS, Filij S. Felicitatis.
ALEXANDER.
VITALIS.
MARTIALIS.
M. AVRELIVS Antoninus Imper.
PONTIFEX idolorum.
PVBLIVS Præfectus.
APOLLONIVS Consiliarius Imp.
APOLLO Procus hostis Christian.
CRISPVS Nobilis occultus Christianus.

CHORVS.

ARGVMENTVM HEROICO VERSV REDDITVM.

MAGNANIMOS *canimus iuuenes, & prodiga vitæ*
Pectora, quæ pietas ardẽs euexit Olympo.
Dum commotæ acies Erebi de sedibus imis
Infundunt sese terris, & turbine mundum
Fumantem piceo perflant, immane sub auras
Extulit Alecto caput, ac fœcunda cerastis
Tempora, & horrificos incussit nubibus ignes.
Tum fremere in sanctos toto Mars impius orbe,
Tum cædem & cædis crudeles voluere pœnas,
Omniaque ingenti secum agglomerare ruinâ.
Vnus in exilium miseris non sufficit orbis,
Noricia in gladios, gladiiq; in vulnera desunt.
Hos inter motus, media inter fulmina surgũt
Septeni fratres, vnius pignora lecti,
Nec genus indecores, nec magnæ lucis egeni.
Hos non Attalico moles operosa metallo,
Non aulæ blanditus honos, traductaque longis
Nobilitas atauis, non mellea pocula Circes,

Non vitæ tardauit amor; dura omnia circum,
Exhausere animas cum nondum prima iuuenta
Pingeret aspersus dulci lanugine malas.
Astitit in letho mater, sua viscera vidit
Discerpi exultans, natorum corpora septem
Obtulit in mortes, & tunc peperisse putauit.
Qualis Olympiacæ quem dulcis gloria palmæ
Sollicitat, stimulosque agitat sub pectore virtus,
Per plagas pretiosa animæ dispendia tendit
In decus, hinc trunco persistit corpore firmus,
Et vitam & laudem non vno in vulnere linquit.
Talis vbi exhausit cælestis femina flammæ
Heroina, graues animo stat voluere casus,
Et vitam ætherea pro Relligione pacisci.
Scinditur in partes per septem funera viuax,
Heu septem in natis nunquam totiesque sepulta.
Fortunata parens, si quid mea carmina possunt.
Audiat hoc æther, responset vocibus æther.
Dum musa atroci toties incincta cothurno
Tantorum annales feruet sudare laborum.
Da faciles Inuicta vias, & carmina defer
Qua fulgent natorum ignes, cæloque recepti,
Auspice te mites ducunt per sydera pompas.



FELICITAS TRAGOEDIA.

ACTVS PRIMVS.

ANICETVS PONTIFEX,
EVAGRIVS COMES PONTIFICIS.
Criſpus nobilis Chriſtianus.

Pontifex luget Eccleſiæ cruciatus, opem à Deo flagitat, nuncios accipit de S. Felicitatis carcere.



VPREME *regum, lucis æternæ pater,*
Qui templa cæli, & ſyderum ardentes globos,
Radiiſque cinctam iugibus Phœbi rotam

Potente dextra voluis, hæc lentus vides?
Lentuſque pateris? fœderis ſancti immemor
Nurum beatam deſpicis ſponſam poli,
Quam ſibi marita filius iunxit face?
Aſpicis vt antro Ditis emiſſus furit
Turbo malorum, & fatum ineluctabile
Nodos ſequaces in nouas pœnas trahit?
In noſtra ludit funera ingenium ferox.
Nerui, flagella, taureæ, ſartagines,
Cippi, columbar, culei, flammæ, cruces,
Cataſta, eculeus, vngulæ, pontus, feræ
Sunt leuia, ni iam parturit ſegetem nouam
Tartarea diris peſtibus fœlix plaga.
Noſtro cruentus ſanguine exundat Tybris,
Lacerata fœdè membra prætexunt ſolum,
Et digna cælo corpora, heu canibus iacent
Obiecta præda; ſed feri indulgent canes,
Et prædam adorant, quam truces laniant viri.
Sator verende cerne ſacrilegam manum
Noſtra impiatam cæde: fer miſeris opem.
Tandem furores impios, tandem Excetræ
Rabiem retunde, & regna fortuna ætheris:
Nam picta ſolus fræna moderaris poli,
Te pulchri ocelli ſyderum irradiant, tibi

Pennata cælo militat diuûm cohors:
Te sempiternum gloriæ cingit decus,
Ditatque cultu floreo ridens honos:
Tete scelesti, & fulmen excussum polo
Tandem pauebunt, cum rubris cinctus rogis
Metes phalangas ære florentes truci.
Olim sequaces Barbari Nili rotæ
Alto sepultæ vortice vltoris sali,
Sensere tergo regna vertentem manum.
Et nunc malorum discute instantes globos,
Et redde lucis aureæ vultum tuis.
EVAG. *Parens verende, proximum cælo caput,*
Solare curas, pectoris vulnus doma.
Optatus albis veniet euectus rotis
Dies, dolorum meta, & auspicium boni
Dulce insequentis: fata si vatum manent
Immota, veniet inclytum terris caput,
Princeps pudici mite præsidium chori,
Qui Christianis ritè perfusus sacris,
Græci furoris franget indomitas faces,
Totamque gremio colliget Christi domum.
Sic post feroces Africi ingentis minas,
Post nigra cæli prælia, & nimbos graues,
Diffusa longis brachia extendit plagis,

Pictos honores illigans Iris polo.
Sic quando missus feruet ex venis cruor,
Bullitque toto largius riuo fluens,
Si forte Iaspin sedula admouit manus,
Repente sistit sanguis, & sidit dolor.
Sed ecce Crispus nubilo mæstus stupet.
ANICETVS. *Effare iuuenis quod nouum portas scelus?*
CRISPVS. *Occidimus omnes, sæua tempestas minas*
Intentat. ANI. *Eheu quis nouus serpit furor?*
CRISPVS. *Lassata nondum cladibus nostris hydra*
Sitit cruorem, faucibus siccis hians.
ANICET. *Effare tandem, quod nouum fulmen tonat?*
CRISPVS. *Carcere tenetur impio Felicitas.*
ANIC. *Felicitas? ô feminæ pectus! bene est:*
Hæc mox verendos martyres cælo dabit.
CRISPVS. *Animosa proles matris egregiæ latus*
Stipat. ANIC. *beatus martyrum cœtus, pio*
Ibis per astra præpes euectus iugo.
CRISPVS. *Nunc exaratas ocyus per me tibi*
Mittunt tabellas, & tuam implorant opem.

ANICET. O Christe nondum nostra mergetur ratis,
Generosa mater masculum superas decus.
O lecta iuuenum pectora! ô germen sacrum!
Dulces tabellæ, vos piis lachrymis rigo.
Ibo, ibo, visam carceris nigras domos.
CRIS. Sed ecce prodit famulus impurus Iouis,
Et machinatur monstra furiosus noua,
Excede præsul, solus hic quicquid parat
Inter furores, aure suspensa legam.

PONTIFEX IDOLORVM.
APOLLO, PROCVS Erinnæ
Christianæ Virginis,

Machinantur S. Felicitatis interitum.

GAlilæa soboles, vomica recutiti gregis,
Inuisa diuis sæculi labes tui,
Etiamne bella cælitum misces choris?
Lernæ Chelidre, flamma numerosi mali,
Multiplicatis pullulas ceruicibus,
Enecta crescis, crescis inclades tuas.
Si fulminantis dextra sic cessat Iouis,
Mouebo dira monstra tartareæ plagæ,

Totumque sede Tænarum euellam sua,
Vt te ruinis opprimat: num debui
Mactare ad aras gentis infandæ greges,
Miscere natis impios artus patrum,
Largo cruore, spargere incestas dapes.
Si feriantur in malis tantis Dei,
En culter ecce sica de sacris calens,
Qua cupida fodiat gentis Hebrææ latus.
Artus cruore perlitos scindam suo,
Rimabor exta, visceribus inhians sacris,
Flammisque tradam capita scelerosæ luis,
Et vstulata membra diripiam foco,
Vt hac Latini gaudeant præda canes.
CRISPVS. *Animum æstuantem fluctibus variis, rege.*
Consilia raro dubia promouit furor.
APOL. PROC. *Bene est, tenetur præda nexilibus plagis,*
Mactanda diuis hostia in casses ruit.
Ego vt supinæ mentis extinctas faces
Marcere patiar? sorbeam crudum scelus
Despectus, exspes, vilis, irrisus, vagus,
Hiante semper gutture includam famem?
Nempe illa casta quam mihi spondet Venus

Petita quondam forma nobilibus procis,
Felicitatis hausit afflatam luem;
Et sub magistra desipit maius nefas.
Repudia thalamis nunciat? namque ætheris
Flagrare primis ignibus cœpit rudis,
Exosa terras quærit in cœlo procos.
Nempe illi amores credo sollicitant deos.
Ego probrosis lectus insidiis? ego
Per fraudulentos qualis & quantus petor
Ventosum amoris nomen, & spectrum fugax
Quas & quam atroces fabula in scenas agor!
Adeone credit mentis extritum decus
Erinna, credit vindices flammas agi
Per fletum inanem? spirat æternùm dolor,
Vindictam, & iras non capit cordis salum.
I, verte cæcis, verte fumantem ignibus
Lectum iugalem, perque sacrificas preces
Immitte sicam, victima hæc Veneri cadat
Opulenta furtis, talis hymenæus iuuat
Rabidum dolorem! nigra lucebit face.
Megæra thalamis, sanguinis rore ebriós,
Postes Erynnis perluet. Quò te rapis?
Quid illa meruit? facinus alienum fuit.
Erinna viuat, viuat & victrix mei.

Vt illa viuat scilicet? casta, integra,
Et spolia nostri appensa riuali thoro
Ostentet? amens, ebrius & vacuus tui,
Adeone ferri lenta torpescit sitis?
Morietur. O dij! nesciat dextra hoc nefas,
Felicitatis scilicet totam hanc tibi
Telam doloris artifex neuit manus.
Actum est, petatur, qua iubet dulcis furor.
Per latera septem liberûm in matrem impiam
Ferrum exigatur: non leuem ludum apparo.
PONT. *O dulce gentis lumen, & columen tuæ,*
O qui deorum numen æternum colis,
Da fidum amoris pignus hanc dextram tui,
Hac Christianos dextera perge, opprime.
APOLLO. *Sed mansuetas Cæsar hic aures habet.*
PONT. *Est incitandus*
APOLLO. *Non leues iras capit,*
Statimque pectus frangitur clementia.
PONT. *At est verendi numinis cultor pius,*
Regnique vindex, & suæ plebis pater,
Nostras querelas audiet, certè audiet,
Si cura regni tangit & superum decus:
APOLLO. *Adeamus, ecce, prome verborum faces*

Quascumque poteris, te Iouis numen regit:
Ego arte quicquid potero perficiam mea.

MARCVS AVRELIVS IMP. APOLLO. PONTIFEX,

Suadent Imperatori Christianorum cædem.

M. AVR. *HOnesta regnum seruitus, blandum malum.*
,, Quem fors ad arces gemmeo vexit iugo,
,, Terrisque pro se Iuppiter numen dedit,
,, Aurea feroci sceptra moderatur manu,
,, Lucet smaragdis purpuræ irradiat face,
,, Et iura dicit, imperat, seruit tamen.
Aetnæa sic nos pondera imperij premunt.
Si me Gelonis fata fecissent ducem,
Aut fors habenas gentis Arsacidûm daret,
Hoc esse regem crederent ciues mei,
Si mihi tiaras barbara pictus manu
Ebrias amomo lamberet in orbem comas;
Si mihi superbum cingeret miles latus,
Sæuisque ferri texeret radiis diem.

„ *Non est Quirini luxus Imperij nota.*
„ *Decore certet pauo gemmanti nitens,*
Pictosque honores diuitis caudæ explicet:
Virtute par est Martium niti genus;
Testor verendi numen æternum Iouis,
Qui cuncta regno regna grauiori premit,
Hæc prima spirat cura visceribus meis.
APOLLON. *Magnanime Cæsar, gentis ô votum tuæ*
Si quando terras Iupiter spectat, poli
Sedens in arce, te videt numen pium,
Tantoque gaudet principe, & lentus bibit
Diuum liquorem, Iupiter cælo imperat,
Marcusque terras sub Iouis nutu regit.
PONT. *Commune mundi lumen, & cæli decus,*
Sat multa nomen posteris tradent tuum,
Quod rumor alba gemmeus penna vehet:
Sed sola pietas inserit cælo viros.
AVREL. *Me prima tangit cura cælicolæ Iouis.*
PONT. *Tangit (fatemur) sacra Pontificum cohors*
Tuo se in ostro pascit, & per te viget,
Cultus deorum, & sacra maiestas Iouis:
Sed Christiani gentis inuisæ probra

Grassantur in te, & iura Romulidum patris.

AVREL. *Sunt comprimendi fortiter.*

PONT. *Recte imperas.*

Tenentur, ecce pœna iam sceleri patet.

AVREL. *Cùm puniuntur morte pubescunt suâ.*

APOLLON. *At flamma pubem comprimet, ne se efferat.*

AVREL. *Si flamma & ensis, quis locus clementiæ?*

APOLLON. *Hostes decorum non manet clementia.*

Sunt Christiani. AVREL. *Sunt tamen credo, viri.*

PONT. *Sed fœdiores tigribus, & vrsis viri.*

AVREL. *Sæuire in vrsos & tigres non est meũ.*

PONT. *Diuos tueri munus est, munus tuum.*

„ AVREL. *Dij mente gaudent integra, non sanguine.*

APOLL. *Cruor impiorum maximum est epulum Iouis.*

AVREL. *Seruare puras Pontifex debet manus.*

APOLL. *Sacrare diti Pontifex debet reos.*

AVREL. *Cum pœna prodest multò suppliciis reos.*

PONT. *Hæc pœna prodest.* AVREL. *Christianorum gregi*

Qui morte crescunt, excetræ fontis caput.

APOLL. *Nemo reuixit mortuus.* AVREL. *sed mortuus*

Cinis vt videtis segete pubescit noua.

APOLLO. *Ferro domari, & facibus hic tandem potest.*

„ AVREL. *Violenta nunquam profuerunt iussa, sed*

„ *Moderata durant.* PONT. *Quis modus genti impiæ*

Quæ iura diuûm crimine incestat fero?

„ AVR. *Mitis potestas fortior ferro & face.*

APOLLO. *Sed mite semper nutrit imperium scelus.*

AVREL. *Sanat diæta, quod nequit Chirurgia.*

PONT. *Ferro secetur tabidi membri lues.*

AVREL. *Possum mederi.* PONT. *facibus & ferro potes.*

AVREL. *Sed qui tenentur? fœminæ & pueri rudes.*

APOLL. *Si negliguntur latius serpit malum.*

AVREL. *Hoc sexus, ætas, hoc ratio mitis vetat.*

APOL. *Quod sexus, atque ætas, vetat leges iubet.*
AVREL. *Fœminea tandem pœna quid laudis parit?*
APOL. *Laus magna sonti victima fieri deo.*
AVR. *In tenera sæuire ingenia, non est pium.*
PONT. *Spernere deorum numen, est plane impiũ.*
AVREL. *Ad sana referent consilia mentem suã.*
APOL. *Quid sanitatis in mera vesania?*
,,AVR. *Mens fœminarum lubricos motus habet.*
PONT. *Nil peruicaci fœmina obstinatius.*
AVR. *Nequeo parentem, liberos seruem pius.*
,, APOLL. *Sed corui (vt aiunt) pessimi, ouum pessimum*
AVREL. *At lenientur.* PONT. *saga ni technis suis*
Iam liberorum finxit ingenium ferox.
AVREL. *Extrema summo pœna seruetur loco.*
Stat mansuetis aggredi mentem artibus,
Flecti recusant? frangere licebit probè.
CRISP. *Heu dira sitis, dira innocui*
Sanguinis ardet corde cupido.
O flecte truces animos, rerum
Genitor, sancti miserere Gregis.

CHORVS CELEBRAT Ecclesiæ Romanæ triumphos sub SS. Petri & Pauli auspiciis.

IMmerge Titan oceano caput,
Et conde flammas ætheree facis.
Fœcunda lucis lux nitescit,
Et gemino sobolescit astro.
En mite Petri lumen, & aureus
Fraterna Paulus lumina duplicans,
Per templa cœli fornicata,
Aurifluo spatiatur igne.
Viui pyropi sydereæ domus,
Afflate vestro pectora lumine,
Quando canoræ fila netes
Musa mouet meliore plectro.
Queis te coronis sancte senex beem?
Nam Ponti arenas, & vaga sydera,
Hyblæque flores delicatæ
Innumeris superas trophæis.
Tu quicquid ambit Nereus, & iugi,
Quicquid rotatu sol videt igneus,
Tu pauperis Cymbæ magister
Imperio moderaris vno.

Aequalis

Aequalis astris Roma Deûm domus
Per te Tonantis molle subit iugum,
Et fœta sertis laureatis
Terga tuis pedibus supinat.
Tecum curules flammigeras agit,
Auctus beatis Paulus adoreis,
Tecum catenati labores
Astra viro pariter dedere.
Non pullulabant tot noua guttura,
Lernæ Chelydro, quot scelerum truces
Fregit cateruas, impotenti
Dum rapidus tonat ille nimbo.
En tota mundi machina sedibus
Conuulsa, Christo bella mouet Nero,
Ad arma, cessantes ad arma
Cæsar agit furiatus œstris.
Inuise diuis Gorgoneum caput,
Quid machinaris tela Cyclopea,
Frustraque ludis & caducos
Ingenimas per inane bombos?
Non plena cæcis pestibus atria,
Iniurioso turbine proruent
Stantem columnam, quam frequenti
Præsidio Dominus coronat.

Pictos honores illigans Iris polo.
Sic quando missus feruet ex venis cruor,
Bullitque toto largius riuo fluens,
Si forte Iaspin sedula admouit manus,
Repente sistit sanguis, & sidit dolor.
Sed ecce Crispus nubilo mœstus stupet.

ANICETVS. *Effare iuuenis quod nouum portas scelus?*

CRISPVS. *Occidimus omnes, sæua tempestas minas*
Intentat. ANI. *Eheu quis nouus serpit furor?*

CRISPVS. *Lassata nondum cladibus nostris hydra*
Sitit cruorem, faucibus siccis hians.

ANICET. *Effare tandem, quod nouum fulmen tonat?*

CRISPVS. *Carcere tenetur impio Felicitas.*

ANIC. *Felicitas? ô feminæ pectus! bene est:*
Hæc mox verendos martyres cœlo dabit.

CRISPVS. *Animosa proles matris egregiæ latus*
Stipat. ANIC. *beatus martyrum cœtus, pio*
Ibis per astra præpes euectus iugo.

CRISPVS. *Nunc exaratas ocyùs per me tibi*
Mittunt tabellas, & tuam implorant opem.

ANICET. *O Christe nondum nostra mergetur ratis,*
Generosa mater masculum superas decus.
O lecta iuuenum pectora! ô germen sacrum!
Dulces tabellæ, vos piis lachrymis rigo.
Ibo, ibo, visam carceris nigras domos.
CRIS. *Sed ecce prodit famulus impurus Iouis,*
Et machinatur monstra furiosus noua,
Excede præsul, solus hic quicquid parat
Inter furores, aure suspensa legam.

PONTIFEX IDOLORVM. APOLLO, PROCVS Erinnæ Christianæ Virginis,

Machinantur S. Felicitatis interitum.

GAlilæa soboles, vomica recutiti gregis,
Inuisa diuis sæculi labes tui,
Etiamne bella cœlitum misces choris?
Lernæ Chelidre, flamma numerosi mali,
Multiplicatis pullulas ceruicibus,
Enecta crescis, crescis in clades tuas.
Si fulminantis dextra sic cessat Iouis,
Mouebo dira monstra tartareæ plagæ,

Totumque sede Tænarum euellam sua,
Vt te ruinis opprimat: num debui
Mactare ad aras gentis infandæ greges,
Miscere natis impios artus patrum,
Largo cruore, spargere incestas dapes.
Si feriantur in malis tantis Dei,
En culter ecce sica de sacris calens,
Qua cupida fodiat gentis Hebrææ latus.
Artus cruore perlitos scindam suo,
Rimabor exta, visceribus inhians sacris,
Flammisque tradam capita scelerosæ luis,
Et vstulata membra diripiam foco,
Vt hac Latini gaudeant præda canes.

CRISPVS. *Animum æstuantem fluctibus variis, rege.*
Consilia raro dubia promouit furor.

APOL. PROC. *Bene est, tenetur præda nexilibus plagis,*
Mactanda diuis hostia in casses ruit.
Ego vt supinæ mentis extinctas faces
Marcere patiar? sorbeam crudum scelus
Despectus, exspes, vilis, irrisus, vagus,
Hiante semper gutture includam famem?
Nempe illa casta quam mihi spondet Venus

Petita quondam forma nobilibus procis,
Felicitatis hausit afflatam luem;
Et sub magistra desipit maius nefas.
Repudia thalamis nunciat? namque ætheris
Flagrare primis ignibus cœpit rudis,
Exosa terras quærit in cœlo procos.
Nempe illi amores credo sollicitant deos.
Ego probrosis lectus insidiis? ego
Per fraudulentos qualis & quantus petor
Ventosum amoris nomen, & spectrum fugax
Quas & quam atroces fabula in scenas agor!
Adeone credit mentis extritum decus
Erinna, credit vindices flammas agi
Per fletum inanem? spirat æternùm dolor,
Vindictam, & iras non capit cordis salum.
I, verte cæcis, verte fumantem ignibus
Lectum iugalem, perque sacrificas preces
Immitte sicam, victima hæc Veneri cadat
Opulenta furtis, talis hymenæus iuuat
Rabidum dolorem! nigra lucebit face.
Megæra thalamis, sanguinis rore ebrios,
Postes Erynnis perluet. Quò te rapis?
Quid illa meruit? facinus alienum fuit.
Erinna viuat, viuat & victrix mei.

Vt illa viuat ſcilicet? caſta, integra,
Et ſpolia noſtri appenſa riuali thoro
Oſtentet? amens, ebrius & vacuus tui,
A deone ferri lenta torpeſcit ſitis?
Morietur. O dij! neſciat dextra hoc nefas,
Felicitatis ſcilicet totam hanc tibi
Telam doloris artifex neuit manus.
Actum eſt, petatur, qua iubet dulcis furor.
Per latera ſeptem liberûm in matrem impiam
Ferrum exigatur: non leuem ludum apparo.
PONT. *O dulce gentis lumen, & columen tuæ,*
O qui deorum numen æternum colis,
Da fidum amoris pignus hanc dextram tui,
Hac Chriſtianos dextera perge, opprime.
APOLLO. *Sed manſuetas Cæſar hic aures habet.*
PONT. *Eſt incitandus*
APOLLO. *Non leues iras capit,*
Statimque pectus frangitur clementia.
PONT. *At eſt verendi numinis cultor pius,*
Regnique vindex, & ſuæ plebis pater,
Noſtras querelas audiet, certè audiet,
Si cura regni tangit & ſuperum decus:
APOLLO. *Adeamus, ecce, prome verborum faces*

Quascumque poteris, te Iouis numen regit:
Ego arte quicquid potero perficiam mea.

MARCVS AVRELIVS IMP. APOLLO. PONTIFEX,

Suadent Imperatori Christianorum cædem.

M. AVR. *Honesta regnum seruitus, blandum malum.*
,, Quem fors ad arces gemmeo vexit iugo,
,, Terrisque pro se Iuppiter numen dedit,
,, Aurea feroci sceptra moderatur manu,
,, Lucet smaragdis purpuræ irradiat face,
,, Et iura dicit, imperat, seruit tamen.
Aetnæa sic nos pondera imperij premunt.
Si me Gelonis fata fecissent ducem,
Aut fors habenas gentis Arsacidûm daret,
Hoc esse regem crederent ciues mei,
Si mihi tiaras barbara pict[illegible]s manu
Ebrias amomo lamberet in orbem comas;
Si mihi superbum cingeret miles latus,
Sæuisque ferri texeret radiis diem.

„Non est Quirini luxus Imperij nota.
„Decore certet pauo gemmanti nitens,
Pictosque honores diuitis caudæ explicet:
Virtute par est Martium niti genus;
Testor verendi numen æternum Iouis,
Qui cuncta regno regna grauiori premit,
Hæc prima spirat cura visceribus meis.
APOLLON. Magnanime Cæsar, gentis ô votum tuæ
Si quando terras Iupiter spectat, poli
Sedens in arce, te videt numen pium,
Tantoque gaudet principe, & lentus bibit
Diuum liquorem, Iupiter cælo imperat,
Marcusque terras sub Iouis nutu regit.
PONT. Commune mundi lumen, & cæli decus,
Sat multa nomen posteris tradent tuum,
Quod rumor alba gemmeus penna vehet:
Sed sola pietas inserit cælo viros.
AVREL. Me prima tangit cura cælicolæ Iouis.
PONT. Tangit (fatemur) sacra Pontificum cohors
Tuo se in ostro pascit, & per te viget,
Cultus deorum, & sacra maiestas Iouis:
Sed Christiani gentis inuisæ probra

Grassantur in te, & iura Romulidum patris.
AVREL. *Sunt comprimendi fortiter.*
PONT. *Recte imperas.*
Tenentur, ecce pœna iam sceleri patet.
AVREL. *Cùm puniuntur morte pubescunt suâ.*
APOLLON. *At flamma pubem comprimet, ne se efferat.*
AVREL. *Si flamma & ensis, quis locus clementiæ?*
APOLLON. *Hostes decorum non manet clementia.*
Sunt Christiani. AVREL. *Sunt tamen credo, viri.*
PONT. *Sed fœdiores tigribus, & vrsis viri.*
AVREL. *Sæuire in vrsos & tigres non est meũ.*
PONT. *Diuos tueri munus est, munus tuum.*
„ AVREL. *Dij mente gaudent integra, non sanguine.*
APOLL. *Cruor impiorum maximum est epulum Iouis.*
AVREL. *Seruare puras Pontifex debet manus.*
APOLL. *Sacrare diti Pontifex debet reos.*
AVREL. *Cum pœna prodest multò suppliciis reos.*

PONT. *Hæc pœna prodeſt.* AVREL. *Chriſtia-norum gregi*

Qui morte creſcunt, excetræ ſontis caput.

APOLL. *Nemo reuixit mortuus.* AVREL. *ſed mortuus*

Cinis vt videtis ſegete pubeſcit noua.

APOLLO. *Ferro domari, & facibus hic tandem poteſt.*

„ AVREL. *Violenta nunquam profuerunt iuſſa, ſed*

„ *Moderata durant.* PONT. *Quis modus genti impiæ*

Quæ iura diuûm crimine inceſtat fero?

„ AVR. *Mitis poteſtas fortior ferro & face.*

APOLLO. *Sed mite ſemper nutrit imperium ſcelus.*

AVREL. *Sanat diæta, quod nequit Chirurgia.*

PONT. *Ferro ſecetur tabidi membri lues.*

AVREL. *Poſſum mederi.* PONT. *facibus & ferro potes.*

AVREL. *Sed qui tenentur? fœminæ & pueri rudes.*

APOLL. *Si negliguntur latius ſerpit malum.*

AVREL. *Hoc ſexus, ætas, hoc ratio mitis vetat.*

APOL. *Quod sexus, atque ætas, vetat leges iubẽt.*
AVREL. *Fœminea tandem pœna quid laudis parit?*
APOL. *Laus magna sonti victima fieri deo.*
AVR. *In tenera sæuire ingenia, non est pium.*
PONT. *Spernere deorum numen, est plane impiũ.*
AVREL. *Ad sana referent consilia mentem suã.*
APOL. *Quid sanitatis in mera vesania?*
,, AVR. *Mens fœminarum lubricos motus habet.*
PONT. *Nil peruicaci fœmina obstinatius.*
AVR. *Nequeo parentem, liberos seruem pius.*
,, APOLL. *Sed corui (vt aiunt) pessimi, ouum pessimum*
AVREL. *At lenientur.* PONT. *saga ni technis suis*
Iam liberorum finxit ingenium ferox.
AVREL. *Extrema summo pœna seruetur loco.*
Stat mansuetis aggredi mentem artibus,
Flecti recusant? frangere licebit probè.
CRISP. *Heu dira sitis, dira innocui*
Sanguinis ardet corde cupido.
O flecte truces animos, rerum
Genitor, sancti miserere Gregis.

Aequalis astris Roma Deûm domus
Per te Tonantis molle subit iugum,
Et fœta sertis laureatis
Terga tuis pedibus supinat.
Tecum curules flammigeras agit,
Auctus beatis Paulus adoreis,
Tecum catenati labores
Astra viro pariter dedere.
Non pullulabant tot noua guttura,
Lernæ Chelydro, quot scelerum truces
Fregit cateruas, impotenti
Dum rapidus tonat ille nimbo.
En tota mundi machina sedibus
Conuulsa, Christo bella mouet Nero,
Ad arma, cessantes ad arma
Cæsar agit furiatus œstris.
Inuise diuis Gorgoneum caput,
Quid machinaris tela Cyclopea,
Frustraque ludis & caducos
Ingenimas per inane bombos?
Non plena cæcis pestibus atria,
Iniurioso turbine proruent
Stantem columnam, quam frequenti
Præsidio Dominus coronat.

Vestri cruoris flumine perlita,
Nunc purpuratis fulget honoribus,
Et vincit astrorum nitorem,
Ingenuis radiata flammis.
O ter beatus sanguinis hic liquor,
Submurmuranti qui rigat alueo
Diuinum agellum, & prata cœli,
Centuplici beat vsque flore.
Saluete cœli gemmea sydera,
Huc, & volucri ferte gradum rota,
Dum terra vestris in triumphis
Tota fremit, resonatque cœlum.
Candida dum puro decurrent sydera lapsu,
Atque senescentes reparabunt cornua lunæ,
Roma sub auspiciis Christi se tollet in astra,
Pacatumque reget sanctis virtutibus orbem.
Frigida dum solitis niuibus se vestiet aura,
Dum verni fundent florum decora inclyta soles,
Florebit pietas cœli victricibus armis,
Perque profanatas mittet sua iura phalanges.

ACTVS SECVNDI

PERIOCHE.

BLanditiis tentare fidem, & peruertere mentes
Nititur egregias Cæsar; ceu lubricus errat
Florigeras per opes, sæuitque venenifer anguis.
Scilicet, ô Iuuenes stat dura per omnia vitam,
Proiicere, & tristes informi occumbere letho.
Quis furor abreptos per cæca pericula voluit?
Heu vbi vernantes primæ lanuginis anni,
Et magnæ decora alta domus! dum feruida currit
Aetas, & pleno pandit se copia cornu.
Carpite delicias, fugit irreparabile tempus,
Et serus manes vrget dolor, omnia nempe
Sunt aliena, tui sed quidquid carpseris æui
Per ludos, epulas, & amatæ dulcia vitæ,
Dixeris esse tuum. Contrà stant robore firmo
Magnanimi iuuenes, matris generosa propago,

Contemptorem animum vitæ, pectusque fidele
Obtendunt clypeum, fortes, tela omnia contra.
Vrget amor cœli inuictus, sanctæque recursat
Matris honos, signatque suum iam Gloria callem.
Cæsar vbi infractos ingenti pectore cernit
Tum vinclis omnes onerat, cæcoque sub antri
Horrore includit densa caligine mersos.
Nil agis ô Cæsar, lucis nunquam indiga latè
Regnat, & in vinclis dominatur libera virtus,
Ipsa sui similis, magno vicina Tonanti.



ACTVS SECVNDVS.

MARCVS AVRELIVS, FELICITAS,

Cauſſam dicit apud Imperatorem.

„ AVREL. *Tentanda primùm cuncta dum molli gradu*
„ *Serpit venenum, membra qui ſcindit ſua,*
„ *Et non medetur vulneri, ſtultè facit.*
O fœminarum ſydus, ô Felicitas,
Explebis omen nominis; tantum tibi
Dent quæ mereris cœlites plena manu.
Quid non meretur mentis excelſæ decus,
Et expolitæ frontis aſſurgens honos
Roſis quæ mixta labra, & hybleis fauis?
Cur te cruentis conficit ſtimulis dolor?
Marcere pateris purpuræ extinctam facem,
Exoſa thalamum, & iura conſortis thori,
Expers honoris, nominis, vitæ; tui,

Fruere deorum munere, fruere dum potes,
Vitæque honores carpe, quos offert Deus.
,, FEL. *Est Imperator, munus infidum decor,*
,, *Et commodatum, non datum mortalibus.*
,, *Non sic feracis hortuli pictum decus*
,, *Sæuus diei fulgor extinguit, citâ*
,, *Medio sub axe cùm furit Phœbus rota,*
,, *Vt illa rapitur temporis spolium breue,*
,, *Diesque veniens corpori demit diem.*
,, *Sed forma mentis est decus verum, & decor.*
,, AVR. *Quæ forma?* FEL. *Virtus est Dei viuus color.*
AVR. *Sed Christiani numen euertunt Dei.*
FEL. *Non fragile colimus dæmonum excordes genus,*
Quos stulta pingit, & fabricat hominum manus.
AVR. *Quid ergo colitis impium cruciarium?*
FEL. *Rerum parentem cuncta qui nutu regit,*
Patrisque summi filium supplex colo,
,, *Hunc, qui refringens nube corporea Deum,*
,, *Paruosque in artus lapsus è patris sinu,*
,, *Attemperauit inditum terris polum:*
Dein misertus numini insertum genus,

Suo expiauit ſanguine humanam luem;
Piacularis victima, & victor, Deus
Impenſus homini. AVREL. *nempe compones Ioui*
Illum parentis filium pauperculæ?
FEL. *Qui ſceptra donat regibus regum potens.*
AVR. *Qui ſceptra donet? nil habet præter cruces.*
FEL. *Cruces amamus optimas ſcalas poli.*
AVREL. *Hæc ſtulta verpi ſomnia, & nugas canunt,*
Qui mente multos credula pingunt polos,
Et ſe futuros autumant cælo Ioues,
Cùm iam miſelli deſinunt eſſe in viris.
FEL. *Sunt ſana verba, ſomniis nulla eſt fides.*
AVREL. *Vis alta ſapere; deſipis Felicitas;*
FEL. *Hæc Imperator ſapio, quæ ſapere addecet.*
AVREL. *Tu ſola prudens corculum ſancti Iouis.*
FEL. *Deo volente ſapio, quod tu non ſapis.*
AVREL. *Hoc ſapere dicunt fœminam ſtirpe inclytam,*
Et iura diuûm ſpernere, & regum forum,
Et clara auorum lumina, & titulos domus,
Infanticidas percitos diris ſequi.
FEL. *Infanticidas non ſequor, cultum tibi*

Cæsar rependi, sed supra reges colo
Summum parentem cælitum, cuius pauor
Cæli columnas numine immisso quatit.
AVREL. *Animosa loqueris, sed rota, & ferrum, & faces*
Istas retundent mentis elatæ minas.
FEL. *Propone ferrum, laminas, tela & faces*
Non me mouebis, nam Dei fulcit manus.
AVREL. *O misera vitæ tædia! ô mentem efferā!*
Est criminosus quisquis hanc lucem fugit.
„ FEL. *Qui morte crimen effugit, satis est pius.*
AVR. *Moriere vecors si cupis, sed non semel.*
„ FEL. *Lex vniuersi me semel iussit mori.*
AVR. *Ego te necare mortibus septem queo,*
Quas vniuersas cùm feres, viues tamen.
FEL. *Meos necabis liberos, peperi Deo.*
AVR. *Tuos necabo liberos, sed qua nece?*
FEL. *Tormenta Cæsar perferent, si sint Dei.*
Et si Dei iam non erunt, non sunt mei.
AVR. *Mandate tenebris carceris tantum scelus.*
Insana, mox te compedes reddent tibi.

FELICITAS, ALEXAND. VITALIS, MARTIALIS.

Mater tres iuniores filios animat.

CAstæ parentis lumen, ac thalami vnicum
Vidui leuamen, pectori affusos date
Nostro lacertos, cingite amplexu pio
Et hinc, & illinc: sufficiet vna omnibus
Materna ceruix. Sic iuuat cælum peti,
Hoc onere leuius teritur ad Superos via.
Vt vos lubens amplector, & vestro in sinu
Liquescit animus gaudio: venit dies
Sancto petitus ambitu, & longa prece
Expressus astris: venit innubis dies
Qui vos beatos martyres sistat polo.
Quæ vestra mēs? an verear, an sperē? haud scio.
Si me Deumque proditis, quid vos moror?
Quò vota tendo credula, atque annos graues,
Vitæ æstuantis mulceo blanda fide?
Descendam ad vmbras pura, castifica, integra,
Nec sol pudoris fiet hic testis mei.
At si per altum pulueris nimbum, & notas

Audacis animæ, tenditis cælo viam,
Vestrasque lauros sanguine intinctas sacro
Præfertis: ite, iungite vnanimem gradum,
Sequar & præibo: viuere hoc solo iuuat
Et esse matrem, martyrum vt fiam parẽs.
O Martialis pectoris quondam mei
Dulcis voluptas, mixtus & curis amor.
Effare; mortis socius ad matrem venis?
MAR. *O luce, mater, ætheris iucundior,*
Ibo lubenter quò sator diuûm vocat,
Et nulla tellus nulla degenerem dies
Tuum videbit filium. FEL. *Macte ô puer*
Sic augurabar mente, sed me ætas tua
Mouet, fatebor, nate quid posſit, vides,
Pœnæ pararis nescium pœnæ caput,
Nondum per annos obtigit quidquam pati:
At magna Christi debilis fulcit manus.
MAR. *Si Marte nostro mater, hoc nobis foret*
Bellum gerendum, nonnihil certe mihi,
Et tibi timerem, sed nihil Christo auſpice
Video timendum. FEL. *Tu sapis mi flosculé,*
Et tu sequeris? ALEX. *Animus ebullit suo*
Ardore totus, sed tamen maior tuis
Incensa flammis, martyrij gliscit sitis.

Per tela & enses, per rogos, perque vngulas
Mortem subibo, nec tuum mater genus
Vnquam negabo. FEL. *Fortis ad fortes venis.*
Vitalis, ibis fratribus consors tuis.
VITAL. *Ibo ibo mater: nullus Acherontis rigor*
Hac me parente faciet indignum, scio.
Non si tyrannus misceat terram inferis,
Et quidquid atrox, pestilens, tetrum, efferum,
In corpus armet, sede diuulsam sua
Hanc dissipabit, quam Deus mentem dedit.
FEL. *O digna Christo pectora, ô Iuuenes probi.*
„ *Vnum cauete, pessimum est fraudis genus,*
„ *Cùm mansuetos induit vultus sibi.*
Si blandiatur, melleis si verbulis
Mentes inescans Cæsar oppugnet fidem,
Tunc est timendus, perfidas fraudes viri
Respuite fortes, anguis in prato latet.
Infracta vidi pectora, & surda ad minas,
Quæ molliori guttulâ, sensim oblitâ
Vires resoluunt, mentis & celsæ decus.
Sed vos nec aurum, nec voluptatis doli,
Nec bracteatus purpuræ insignis decor,
De sede moueat. VIT. *Fascium fumos leues,*
Ostrumque fallax sub tuis signis parens,

Temnere sueti, pergimus cœli viam.
FEL. *Et vestra magnus arma fortunet Deus.*
Certate filij fortiter, grande est decus
,, *Quod est parandum. Sanguinis pretio facit*
,, *Venale cœlum Christus, hoc primus fores*
,, *Reclusit æthræ, signat hoc nobis iter.*
Valete mentis dulce delicium meæ,
O sancta pubes, decora genialis thori.
Dissuauiari me iuuat sacras manus,
Quas laureatas cœlitum præstet fauor.
Ite ite fortes. Christe tu rerum potens
Cuncta intueris, accipe in gremio tuo,
Quos tibi repono liberos, peperi tibi.

M. AVREL. ALEX. VITAL. MARTIALIS,

Tres filij iuniores blanditiis tentantur ab Imperatore.

AVREL. V*T vos in vlnis lætus amplector meis*
Generosa pubes, Martiæ gentis decus.
O Martialis debitum Marti caput,

Germen pudica Cypriæ eductum manu.
Ah! fugis vt agnus lacte depulsus recens,
Massyla sæuis quem minis terret iuba.
Quem me putatis? non ego tortor ferus
Tristi flagello cinctus, & ferro & face.
MART. *Ego te (Imperator) quod Deus iussit, colo,*
Longos per annos sceptra fortunet tibi,
Lucemque mentis cælitum tribuat pater.
AVREL. *Et vos fideli pectore amplector lubens,*
Dignosque honores sanguine, & meritis dabo.
ALEX. *Tuos honores aulici captent canes,*
Quos versat atrox lubricæ sortis rota,
Turpes, egenos, desides, vacuos sui:
Nos sorte vili viuimus, celsa tamen.
AVREL. *Non sorte vestra viuitis, vos addecet*
Pubem ferocem, Romulæ gentis decus,
Spirare Martem, & laureas dignas patrum.
VITAL. *Magni Imperator pectoris iuuenes sumus,*
Et digna cælo sapimus, & superum choro.
Hoc quicquid ambit Phœbus æterna face,
Illustre flammis Nereo promens caput,
Non implet altos mentis excelsæ sinus.
AVR. *Vnde ergo cordis marcuit grandis vigor?*

Non vos in armis Bistones portant equi,
Non emicantes stellulis fræni iuuant,
Nec lana dulci murice ardens, nec decor
Tot gemmularum, quas ferax Ganges vomit.
„ ALEX. *Hæc sparsa fuco congerit regũ manus,*
„ *Sortisque raptant volucris, incertæ vices.*
„ *Nos cælo honores quærimus digno Deo.*
AVREL. *Vos desidetis inter impuros canes,*
Qui sorditati, sordidi, tetri, impij
Quærunt latebras, nec iubar solis ferunt.
„ VITAL. *Non otiosa fertur in cælum via,*
„ *Animosa virtus; si iubes ferrum exeri,*
Age verte in hostes numinis. Quale vuida
Nube irretortum fulgur in terras ruit,
Per tela, & ignes obuium pectus feram
Capacis animæ. AVR. *Pergite vt fortes decet.*
MART. *Nos militamus maximo regi.*
AVREL. *O pudor!*
Vos militatis impio cruciario.
VITAL. *Hic sceptra cæli temperat cruciarius.*
AVREL. *Hoc te erudiuit mater insana ad scelus.*
ALEX. *Scelus hoc videtur tibi, mihi sapientia.*
AVR. *Atqui videtur omnibus stultum, impiũ.*
VITAL. *Sed queis videtur impiis, stultis, feris?*

AVREL. *O stulta capita, quas ego vobis cruces?*
MART. *Stulti videmur, sed tamen sapimus Deo.*
AVREL. *Audite iuuenes, mittite hoc stolidum nefas,*
Per sceptra iuro, per decus summum imperij,
Et vos amabo vt filios partem mei,
Fasces, curules, laureas impertiar.
Exuite tantum saxeam mentem precor:
Qui pollicetur Cæsar est, Cæsar dabit.
,, ALEX. *Simulachra sunt hæc leuia gloriolæ leuis,*
,, *Pretiosa mundi retia, auratæ cruces.*
,, *Aeterna sed nos præmia in cœlo manent:*
,, *Qui pollicetur Christus est, Christus dabit.*
AVREL. *Vt fascinauit perditos verpi furor.*
MART. *Non fascinauit, sed bonam mentem dedit.*
AVR. *Quàm stulta stultos opprimet sapientia.*
VIT. *Propone mortes, vnicum votum est mori.*
AVR. *Sed lenta mortis tædia, atque artus graues,*
Et membra membris dissita, extendent necem.
Tollite scelesta capita, in aulam abducite.

M. AVREL. IANVA. FELIX, PHILIPPVS, SYLVANVS,

Quatuor nati maiores frustrà ab Imperatore muneribus pelliciuntur.

AVREL. *ADeste, lecta Martiæ gentis manus*
Albis nitentem Phosphorum bigis colit;
Gemma beatus candida currit dies,
Quò me iugales gemmeo tollent iugo,
Mecumque paribus ibitis vecti rotis,
Dum carpit altum fama perlauros iter.
IANV. *Si sacra Cæsar præparas festo die,*
Vides opinor victimas; quas ocyùs
Aris nefandis mucro mactabit Popa.
AVREL. *Bona verba quæso, quid fodis pectus meum?*
FEL. *Testor pudicas solis æterni faces,*
Qui celsa puri templa perstringit rotis,
Tuas ad aras fortiter cæsus cadam,
Ne me profanem thure Romulei Iouis.

Eant

Eant stigosi quò volent Lemures eant;
Perpluta strigibus capita nocturnis dij,
Ego parenti cœlitum obstrinxi fidem.
AVREL. *Cùm læta floret aula vernanti die,*
Vos cogitatis funera, & læuas striges.
PHIL. *Tu læta censes gaudia & dulces iocos*
Tot victimarum; queis coronatus decor
,, *Proludit orco, & funeris pompa sui*
,, *De Veneris igne mortis incendit rogos.*
,, *Heu læta læta quàm citò volitant gradu!*
,, *Hæc læta mors est, mortis expertem mori.*
AVREL. *Malè ominaris.*
SYL. *Omen hoc maneat meos.*
Sæuire ferro Cæsar, haud verbis decet.
En nudo pectus vulneris magni capax,
Exprome ferrum, parte qua poscis feri.
,, *Sic est agendum, verba diripiunt noti:*
,, *Meliùs cruoris riuulo pingam fidem.*
AVREL. *Quod vos misellí tædium lucis tenet?*
Dum currit ætas feruido velox pede,
Viretque pubes flore purpureo decens,
Carpite deorum munera, & genio sacros
Mactate honores, mentis incussa metus.
Obliuioso mergite obtusos mero.

C

IANV. *O si dederunt, vindicem norint Deum*
Matrisque diras optimæ, & furias truces.
O Martialis! lumen afflictæ domus,
Hoc te impiasti scelere: vbi mentis vigor?
Vbi prisca virtus? indoles vbinam aurea?
FELIX. *Infausta capita proditis sanctum decus,*
Christi cruorem proditis, Christi fidem,
Felicitatis filij & fratres mei!
I, verte iura, verte natura omnia
Exuito fratres, exuunt fratres Deum.
MART. *Fugi vt procella tænaro afflatam luem,*
Ego execrandi facinoris culpa vaco;
Testor nitentis aureos vultus poli,
O Ianuari, iunge complexus pios.
IANV. *O dulce pondus! matris ô miseræ salus,*
Lumenque fratrum Martialis, sanus es.
MART. *At tu tyranne, quando per summum nefas*
Intaminatum rapere moliris decus,
Et me sacrato dirimere è fratrum choro,
Pœnas supremo iudici meritas dabis.
AVR. *Scelerata capita, monstra tartareæ domus,*
Vobis scelestas comprimam linguæ minas,
Onerate ferro, in carcerem compingite.

CHORVS,

Questus Ecclesiæ militantis, quam cœlestis chorus blandissime consolatur.

Heu fero nondum satiata ludo,
Semper & casti sitiens cruoris,
In meum sæuit caput impiatæ
Bellua Lernæ.
Et meum temuit decus, & minaci
Semper insultat petulans flagello:
Exul in terris agor, & beatas
Postulo sedes.
Quis mihi pennas dabit, & volatu
Præpeti scindam grauidata nimbis
Templa, mortales fugiamque visus
Ocyor Euris?
Non peto Rhesi celeres quadrigas,
Tu iube tantùm Sator alme mundi,
Deseram terras, liquidoque pingam
Aëra tractu.
Heu dolor totis furit in medullis,

Imbre manantes oculi liquiescunt,
Cùm patrem rerum, superosque ridet
Ferrea proles.
Dum profanato crepat ore probra,
Impius tendo vigiles ocellos,
Ad polum, spero nec auara mentem
Somnia ludunt.
Et mihi lenas vaga per medullas
Flamma desæuit, fluit igne pectus,
Talis egestos glomerat vapores
Lemnia fornax.

Chorus cœlestis.

O Stelliferi sydus amoris,
O digna cohors axe beato,
Viuite terris, viuite læti,
Oraque fletu madidata pio
Lucis purior aura serenet.
Optata dies veniet breuibus
Emissa rotis, viuite læti.
Vestros cernunt astra labores,
Vestris reddent premia curis.
Viuite terris, viuite læti.

Vos templa manent æterna polo,
Vbi pura rotis crystalla secat
Sol flammiferis pulcher habenis,
Cælique nitet lucidus ordo.

Ecclesia militans.

Ecce cælestis mihi vox per auras
Aduolat lenti pretium doloris,
Gaudio pectus micat, & serenant
Lumina frontem.
O Dei proles, amor, & voluptas,
Tu potes nostrum satiare pectus,
Corculum cæli, mea diua vultus
Pande serenos.
Lucidum cæli decus, ô beata,
Quam decor vestit radiatus auro,
Huc ades longis toties petita
Gloria votis.
Diua quid vultus tegis, & micantes
Syderum flammas inimica condis?
Te Deus nobis genuit sororem
Ne tege vultus.
Ah! fugit denso volucris rotatu,

Et volat tortæ similis sagittæ,
Quam celer Maurus comitem ruenti
Addidit auræ.
Non licet diuæ radiis potiri,
Sparsa dum nubes oculos oberrat:
Mentis obtutu video, nec vmbra
Fallor inani.
I, dolor, ventis equita proteruis,
Non ego cœli genus hic manebo:
Altior terris ego sum, polosque
Pectore claudo.



ACTVS TERTII

SYNOPSIS.

CArnificum horrendas acies, & tristia cædis
Vulnera, & informes riuis stillantibus artus
Mens incussa pauet. Proh Romæ dedecus ingens!
Proh! scelerum labes, nostrique infamia sæcli!
Sistitur ad palum infamem clarissima mater,
Sistitur infælix, manibus post terga reuinctis,
Verberaque inter carnificum, & ludibria turbæ;
Mox casti subeunt Iuuenes ante ora parentis,
Nudantur costæ virgis, it grandine sæua
Plagarum nimbus, lauit ater corpora sanguis.
Mens tamen inconcussa manet, perque ardua surgit
Ad superos grandi virtus interrita cliuo.
Quales cum vastis nudi Cyclopes in antris
Exercent crudum chalybem fornacis anhelæ:
Illi inter sese magnis conatibus vrgent

Enixi : tundunt, versantque per omnia massam
Ardentem, absistit scintillis acribus ignis.
Immugit specus, & responsant omnia syluæ.
Sic illi exagitant sanctorum corpora crebris
Verberibus, diri resonant clangoribus ictus,
Vix laceros artus tabo tegit horrida pellis.
Quæritur heu miseris tam pulchro in corpore corpus.
Sed virtus atrox per mortua viscera regnat,
Et toto exiliunt cœlestes corpore flammæ,
Queis Deus vt viuant de cœlo alimenta ministrat.



ACTVS TERTIVS.

MARCVS AVRELIVS, APOLLONIVS, PONTIFEX Idolorum, Publius Præfectus,

Consilium ineunt de tormentis martyrum.

M. AVREL. *O Dura gentis pectora! ô summum nefas!*
Mallem æstuosas prosequi syrtes prece,
Cùm sæuit ater fluctus, & nigra Aeoli
Rupere claustra colla iactantes Noti:
Mallem sonoræ Thraciis fidibus lyræ
Mulcere sensus acris indociles feræ,
Quàm Christianos. PONT. *Nempe sic rabie fera,*
Instincta molles Tigris in citharas furit.
„ Ad facinus iturper gradus, sed qui Deos
„ Libauit ausu, iam tenet summum gradum.

„ *Fidem, pudorem, numen, & mentem bonã*
„ *Demersit, ac vix naufragæ superest rati.*
APOL. *At præsecanda est antequam lernæ nigris*
Emissa ab antris, latius serpat lues.
„ *Dum flamma tenui gliscit accrescens pede,*
„ *Mersare quisquis negligit lymphis malum,*
„ *Quam frustrà adultas luget in tectum faces.*
Tentare morbum remediis olim piis
Erat necesse; nil diæta profuit,
Exprome cultros oppidò & cauteria.
PONT. *Si colere cunctis expedit cruciarium,*
Sunt diruenda fana supremi Iouis,
Demolienda funditus Vestæ sacra,
Ponemus alta templa Verporum gregi,
Thura offeremus, & Quirinorum chori
Recutita discent sabbata & nugas leues.
AVR. *Male ominaris, omen auertat Deus,*
Ego furentis sopiam flammas mali.
APOL. *Ni prædometur in dies crescet scelus,*
Quis non libenter huic Deo se mancipet,
Qui fœda nebulonum capita sistat polo?
Si spes dolosi fulserit numini, obuium
Per ferrum, & ignes impotens penetrat sitis.
Promissa quid non templa suadebunt poli?

„Diuinitatis auida gens mortalium,
Proinde adultis pestibus ferrum incute.
AVR. *Felicitatem destino immiti foro.*
Sed timeo ne mox plebis ignescat furor,
Si fors videbit fœminam genere inclytam
Palo alligari, victimam infaustæ necis.
APOL. *Tu si ferocem comprimi populum cupis,*
Procera ferro capita prudenti mete.
AVREL. *Satis est monere: Publius partes agas.*

PVBLIVS TRIBVNVS. FELICITAS.

Felicitas deiectis cœlitùs idolis, ad palum alligata torquetur.

PEr sceptra iuro Cæsaris, per dexteram
Istam timendam barbaris, & per caput,
Geniumque Diui: sanguinis fluctu ebrius
Voluetur hodie languida Phœbus rota,
Ipsæ pauebunt noctis auersæ faces.
Nimis tonamus, stringimus scopulos nimis,
In capita scelerum fulmen excussum ruat.
Actum est, peribunt, triste lucifugûm scelus

Ferro amputabo, leua si serpit lues
Latius in astra, per suas viuax neces,
Ardente lapsu syderum oppressam tegam.
Proferte palum, forcipes, gladios, rotas,
Ahena, flammas, scorpiones, taureas,
Experiar an sint ferrei, an silice editi:
Proiecta ditis victima, nefastum caput,
Quas tibi Megæra ventilat cordi faces
Perque odia castæ lucis auersam trahit?
Adeo obseratum credis infernum Iouem
Vt vi reuellas? prona te ad Orcum via.
Ne metue rapiet, forte cum noles mori.
Tu respuisti Cæsaris dona & minas:
Iam non minari, non placet donis agi,
In te parantur monstra supplicij noua.
FELIC. *Etiam minaris.*
Non tamen frustra minor.
PVB. *Iam latera fodiam thura ni dederis Ioui,*
Et expiaris criminis labem tui.
FEL. *At me impiarem thura si ferrem Ioui.*
PVB. *Et peruicaces fœminas vici, ocyus,*
Da thura, vel te. FEL. *iamdiu excessit timor,*
FEL. *Exequere, quid me territas iterum minis?*
Te fulminantis magna de cœlo manus,

Tuumque diuum fictilem merget rogo.
Vides vt ille cecidit illisus solo.
PVB. *O nigra Cocyti vada, & noctes pigræ,*
Et cum Cerastis atra furiarum cohors,
Rupistis alto clausa tenebrarum situ
Antra impotenti carmine, & technis strigis.
O saga saga dæmoni addictum caput,
Grassaris vt soles nefandis artibus.
FELIC. *Sum famula Christi principis, non sum*
maga.
PVB. *Nudate colla sericis, & tundite.*
FELIC. *Nudate; at olim vestiet radiis Deus.*
PVB. *Vincite palo contumacem fœminam.*
Emollietur, fortiter contundite.
FEL. *Et verba spreui, & fortiter plagas feram.*
PVBL. *Te mansuetam verbera efficient fera.*
FEL. *O Christe, Christe.*
PVB. ——— *Liberet te furcifer.*
FEL. *O qui nitenti gemmeam lucem rota,*
Hæc ad palum. *Signas, & auctas exeris radiis comas,*
Ocelle mundi respice in clades meas.
Supreme regum Christe spes Cæli, & soli,
Quò decoloris cessit ætatis rigor,
Et sæcla melius aureo currunt pede.

Miserere nostri, frange conatus truces.
Testor beatos cœlites, testor viros.
Non probra vitæ, non decora gentis meæ
Per me inquinata Præsidi sistunt ream.
Romana mater, stirpe, famâ nobilis,
Palo alligata, pereo quòd Christum colo.
PVB. *Insana capita, gentis Ausoniæ probrum,*
Calcatis etiam Cæsarem, & numen Iouis?
Tergo luetis, vos ego, nulla est mora.

PVBLIVS, FELICITAS, cum quatuor ex filiis maioribus,

In conspectu matris palo alligatæ sollicitantur minis ad impietatem.

IANVAR. *CRudele facinus! Haeccine est clementia?*
Hæc mansueti principis leges iubent?
O dira facta! sæculi crimen nouum!
Cur impiasti filios matris cruce?
Cur verberasti ferreo aspectu impie?
O sancta genitrix, liberos complectere,
Frustrà catena liuidos artus premunt,

Nescit teneri, regnat in vinclis amor.
Complectere animo, brachiis quos non potes.
Socios corona martyres ne respue.
FEL. *Adeste filij, dure genitricis labor,*
„ Quos in catenis parturio, tanti est Deo
„ Sacrare natos, vincula hæc clamant fidem.
„ Estote fortes, regium est Christo pati.
PVB. *Exolue matrem compede, infelix puer,*
Da thura diuis, ni facis, frustra es pius.
IANV. *Vt me nefandis taminem sacris iubes,*
Et igne ditis polluam incestas manus?
Age, scinde potius pectus exitiis graue.
PVB. *Morieris vna morte, sed lentè tamen.*
Felix beati nominis serua decus,
„ Da thura, paruo thure felices litant
FELIX. *Mitis tyranne mel veneno diluis.*
Iubesne matrem temnere, & castam fidem,
Scelerare dextram victimis feralibus?
Hæc dextra soli militat fidens Deo,
Si fœda digitis thura libarit Iouis,
Ardente tostam protinus mergam rogo:
Interque prunas funere attonitas nouo,
Suis fruetur læta suppliciis manus.
PHIL. *Impure cultor dæmonis, dirum caput*
Etiamne

Etiamne palmam frangere in manibus paras?
Etiamne serpis? qualis in prato rubens
Crudele frontis gloria, gyros agit
Anguis retortos, perque florentes toros
Herbarum, atroci virus eructat dolo.
Ego parentis socius, & fratrum, tuos
Detestor vsque fictiles diuos.
PVB. *Furor*
Rapit vnus omnes, obuij letho, ruunt
In flammam & enses, peruicax Orci genus!
SYL. *I, sparge thure, sparge sceleratos lares,*
Liba cruorem liberum casto Ioui.
Adure prunis, corporum impuras dapes,
Et taminata nare nidorem ebibe.
Me mensa Christi, templa me Christi manent.
FEL. *O sancta Iuuenum pectora, ô fortes viri,*
Vos esse matris filios constans fides
Probat.
PVB. *Scelesta, incendis etiam liberos?*
Excipite plagis strenuè ingratum caput,
Exerite gladios, latera fodite, occidite.
Diuulsa membris membra canibus spargite.
FEL. *Vtinam ferires, praesto sum.*
PVB. *Crudi impij*

Nil vos parentis miseret, estis liberi?
Non iste tigres acer exercet furor.
Norunt Leones dulce spelæum patris,
Et cum supremum cardinem vitæ premit
Decliuis ætas, apparant victum seni,
Quemcumque syluis dexter asportat labor.
Vos impiati vulnera haud matris mouent?
FEL. *Frustra es misericors bone vir, esto quod decet.*
Adeste nati, lachrymis nil est opus.
Desideratum matris hoc corpusculum
Piis lacertis cingite, ô pugiles Dei
Cur ora lauit fletus? obtestor polos,
Non vos relictos patiar, at si quid cinis
Clausus sepulchro spirat, & manes amant,
Quos vita fouit: cassa vitali die
Fouebo natos semper affusos sinu.
Adero, præibo, cælitum monstrans iter.
Qualis loquacem peruolat hirundo domum,
Paruoque dulces diuidit prædas lari:
Mox & volatu gestiens agmen nouo
Educit astris timida, & in cunctis volat.
Sic vos reuisam, nutriam, cernam, alloquar,
Solabor ægræ mentis insomnes metus,

Viuoque vultu noctis implebo vices,
Donec beatos inferam mecum polo.
PVB. *Insana mortem cogitas? sed longè abest,*
Vocata fugiet, quam fugis vitam, dabo.
Si grata fuerit vita, tum cogam mori.
An sis leæna, an mater, experiar. Citò
Nudate corpus liberûm, virgas date,
Laniate plagis, fodite, cædite, vellite,
Carnisque frusta & virulentum sanguinem
Porrigite matri, si cupit; nam ista dape
Explere statui, quæ dapes spernit Iouis.
FEL. *Euisceratæ matris ô pia viscera,*
Nati, pudici gloria & lumen sinus,
Estote fortes, per meas tædas rogo
Per & catenas, per patris manes, rogo,
,, *Estote fortes: arduum virtus iter*
,, *Per dura tendit, vincere & tundi solet.*
Quicquid minarum nunc tonat, totum est leue.
,, *Parat coronas dum parat vobis cruces,*
,, *In astra fusus ducit heroës cruor.*
SYL. *Confide mater liberos fortes habes.*
Sulcare virgis latera carnifices parant?
En latera, pectus fodere discerptum volunt?
En pectus, & si colla poscunt: offero,

Satis ampla seges est, & tyrannum cernitis
Fratrum madentem sanguine.
ALEX. *O dirum caput,*
O generis humani luem, monstrum horridum.
Te saeua Thetys expuit, te Caucasus
Inter Leaenas pauit eiectum salo,
Vt tu natares dirus! in fratrum nece,
Taboque sparsos manderes artus virum.
VIT. *O sancta fratrum corpora! ô Iuuenes pij!*
Sic me relicto, teritis in caelum viam?
Desertus ego sum, langueoque inglorius,
Dum vos beata carpitis palmam manu.
O turba faelix martyrum, plagas date
Exosculari, & imbre lachrymarum graui
Abluere, frater sum, hoc mihi quisquam neget?
Ignaue, plagas lambere informes cupis?
Morare, nam mox si lubet lambes tuas.
MART. *Non est minandum carnifex, gladium exere,*
Quidquid minaris, Martyrum accendit sitim.
Abrumpe molem quà tuum pectus tumet,
En nudo corpus, qua voles ferrum incute.
PVB. *Tu mansuesces vilis vlmorum Seges.*
„ IAN. *Tolerate Iuuenes, insident spinis rosae.*

„ *O quàm decorum & dulce pro Christo pati!*
„ *Quot exaratum plagis hoc corpus rubet,*
„ *Tot ora laudant robur inuictum Dei.*

ALEX. *Non si per artus Hydra fœcundum meos*
Texat volumen decoloremque ebibat
Venis cruorem, franget indomitas faces
Mentis seueræ: perge si potes incute
Mundi ruentis pondus in pueri caput,
Ridebo moles irritas Christo duce.

VIT. *Exprome dirus quidquid instigat furor,*
Eripere mentem non potes, vitam potes.
O sancta genitrix, ore sacrifico faue,
Ecce auspicatam currimus lethi viam,
Sub te magistra dulce supplicium mori.

PVB. *I, latera, tunde, lictor, & virgis doma.*

FELICITAS canit palo alligata.

FEL. *CVrrite fortes, currite læti,*
Pueri Matris nobile germen.
Currite Christo, Iuuenes sancti,
Hic certamina vestra beabit.
Hic aureolis inclyta lauris,
Cinget tempora diues honore.

,,Diuinitatis auida gens mortalium,
Proinde adultis pestibus ferrum incute.
AVR. *Felicitatem destino immiti foro.*
Sed timeo ne mox plebis ignescat furor,
Si fors videbit fœminam genere inclytam
Palo alligari, victimam infaustæ necis.
APOL. *Tu si ferocem comprimi populum cupis,*
Procera ferro capita prudenti mete.
AVREL. *Satis est monere: Publius partes agat.*

PVBLIVS TRIBVNVS. FELICITAS.

Felicitas deiectis cœlitùs idolis, ad palum alligata torquetur.

PEr sceptra iuro Cæsaris, per dexteram
Istam timendam barbaris, & per caput,
Geniumque Diui: sanguinis fluctu ebrius
Voluetur hodie languida Phœbus rota,
Ipsæ pauebunt noctis auersæ faces.
Nimis tonamus, stringimus scopulos nimis,
In capita scelerum fulmen excussum ruat.
Actum est, peribunt, triste lucifugûm scelus.

Ferro amputabo, leua si serpit lues
Latius in astra, per suas viuax neces,
Ardente lapsu syderum oppressam tegam.
Proferte palum, forcipes, gladios, rotas,
Ahena, flammas, scorpiones, taureas,
Experiar an sint ferrei, an silice editi:
Proiecta ditis victima, nefastum caput,
Quas tibi Megæra ventilat cordi faces
Perque odia castæ lucis auersam trahit?
Adeo obseratum credis infernum Iouem
Vt vi reuellas? prona te ad Orcum via.
Ne metue rapiet, forte cum noles mori.
Tu respuisti Cæsaris dona & minas:
Iam non minari, non placet donis agi,
In te parantur monstra supplicij noua.
FELIC. *Etiam minaris.*
Non tamen frustra minor.
PVB. *Iam latera fodiam thura ni dederis Ioui,*
Et expiaris criminis labem tui.
FEL. *At me impiarem thura si ferrem Ioui.*
PVB. *Et peruicaces fœminas vici, ocyus,*
Da thura, vel te. FEL. *iamdiu excessit timor,*
FEL. *Exequere, quid me territas iterum minis?*
Te fulminantis magna de cœlo manus,

Tuumque diuum fictilem merget rogo.
Vides vt ille cecidit illisus solo.
PVB. *O nigra Cocyti vada, & noctes pigræ,*
Et cum Cerastis atra furiarum cohors,
Rupistis alto clausa tenebrarum situ
Antra impotenti carmine, & technis strigis.
O saga saga dæmoni addictum caput,
Grassaris vt soles nefandis artibus.
FELIC. *Sum famula Christi principis, non sum maga.*
PVB. *Nudate colla sericis, & tundite.*
FELIC. *Nudate; at olim vestiet radiis Deus.*
PVB. *Vincite palo contumacem fœminam.*
Emollietur, fortiter contundite.
FEL. *Et verba spreui, & fortiter plagas feram.*
PVBL. *Te mansuetam verbera efficient fera.*
FEL. *O Christe, Christe.*
PVB. —— *Liberet te furcifer.*
FEL. *O qui nitenti gemmeam lucem rota,*
Hæc ad palum. *Signas, & auctas exeris radiis comas,*
Ocelle mundi respice in clades meas.
Supreme regum Christe spes Cœli, & soli,
Quò decoloris cessit ætatis rigor,
Et sæcla melius aureo currunt pede.

Miserere nostri, frange conatus truces.
Testor beatos cælites, testor viros.
Non probra vitæ, non decora gentis meæ
Per me inquinata Præsidi sistunt ream.
Romana mater, stirpe, famâ nobilis,
Palo alligata, pereo quòd Christum colo.
PVB. *Insana capita, gentis Ausoniæ probrum,*
Calcatis etiam Cæsarem, & numen Iouis?
Tergo luetis, vos ego, nulla est mora.

PVBLIVS, FELICITAS, cum quatuor ex filiis maioribus,

In conspectu matris palo alligatæ sollicitantur minis ad impietatem.

IANVAR. *CRudele facinus! Hæccine est clementia?*
Hæc mansueti principis leges iubent?
O dira facta! sæculi crimen nouum!
Cur impiasti filios matris cruce?
Cur verberasti ferreo aspectu impie?
O sancta genitrix, liberos complectere,
Frustrà catenæ liuidos artus premunt,

Nescit teneri, regnat in vinclis amor.
Complectere animo, brachiis quos non potes.
Socios corona martyres ne respue.
FEL. *Adeste filij, dure genitricis labor,*
,, Quos in catenis parturio, tanti est Deo
,, Sacrare natos, vincula hæc clamant fidem.
,, Estote fortes, regium est Christo pati.
PVB. *Exolue matrem compede, infelix puer,*
Da thura diuis, ni facis, frustra es pius.
IANV. *Vt me nefandis taminem sacris iubes,*
Et igne ditis polluam incestas manus?
Age, scinde potius pectus exitiis graue.
PVB. *Morieris vna morte, sed lentè tamen.*
Felix beati nominis serua decus,
,, Da thura, paruo thure felices litant
FELIX. *Mitis tyranne mel veneno diluis.*
Iubesne matrem temnere, & castam fidem,
Scelerare dextram victimis feralibus?
Hæc dextra soli militat fidens Deo,
Si fœda digitis thura libarit Iouis,
Ardente tostam protinus mergam rogo:
Interque prunas funere attonitas nouo,
Suis fruetur læta suppliciis manus.
PHIL. *Impure cultor dæmonis, dirum caput*
Etiamne

Etiamne palmam frangere in manibus paras?
Etiamne serpis? qualis in prato rubens
Crudele frontis gloria, gyros agit
Anguis retortos, perque florentes toros
Herbarum, atroci virus eructat dolo.
Ego parentis sociae, & fratrum, tuos
Detestor vtque fictiles diuos.
PVB. *Furor*
Rapit vnus omnes, obuij letho, ruunt
In flammam & enses, peruicax Orci genus!
SYL. *I, sparge thure, sparge sceleratos lares,*
Liba cruorem liberum casto Ioui.
Adure prunis, corporum impuras dapes,
Et taminata nare nidorem ebibe.
Me mensa Christi, templa me Christi manent.
FEL. *O sancta Iuuenum pectora, ô fortes viri,*
Vos esse matris filios constans fides
Probat.
PVB. *Scelesta, incendis etiam liberos?*
Excipite plagis strenuè ingratum caput,
Exerite gladios, latera fodite, occidite.
Diuulsa membris membra canibus spargite.
FEL. *Vtinam ferires, praesto sum.*
PVB. *Crudi impij*

Nil vos parentis miseret, estis liberi?
Non iste tigres acer exercet furor.
Norunt Leones dulce spelæum patris,
Et cum supremum cardinem vitæ premit
Decliuis ætas, apparant victum seni,
Quemcumque syluis dexter asportat labor.
Vos impiati vulnera haud matris mouent?
FEL. *Frustra es misericors bone vir, esto quod decet.*
Adeste nati, lachrymis nil est opus.
Desideratum matris hoc corpusculum
Piis lacertis cingite, ô pugiles Dei
Cur ora lauit fletus? obtestor polos,
Non vos relictos patiar, at si quid cinis
Clausus sepulchro spirat, & manes amant,
Quos vita fouit: cassa vitali die
Fouebo natos semper affusos sinu.
Adero, præibo, cælitum monstrans iter.
Qualis loquacem peruolat hirundo domum,
Paruoque dulces diuidit prædas lari:
Mox & volatu gestiens agmen nouo
Educit astris timida, & in cunctis volat.
Sic vos reuisam, nutriam, cernam, alloquar,
Solabor ægramentis insomnes metus,

Viuoque vultu noctis implebo vices,
Donec beatos inferam mecum polo.
PVB. *Insana mortem cogitas? sed longè abest,*
Vocata fugiet, quam fugis vitam, dabo.
Si grata fuerit vita, tum cogam mori.
An sis leæna, an mater, experiar. Citò
Nudate corpus liberûm, virgas date,
Laniate plagis, fodite, cædite, vellite,
Carnisque frusta & virulentum sanguinem
Porrigite matri, si cupit; nam ista dape
Explere statui, quæ dapes spernit Iouis.
FEL. *Euisceratæ matris ô pia viscera,*
Nati, pudici gloria & lumen sinus,
Estote fortes, per meas tædas rogo
Per & catenas, per patris manes, rogo,
,, *Estote fortes: arduum virtus iter*
,, *Per dura tendit, vincere & tundi solet.*
Quicquid minarum nunc tonat, totum est leue.
,, *Parat coronas dum parat vobis cruces,*
,, *In astra fusus ducit heroës cruor.*
SYL. *Confide mater liberos fortes habes.*
Sulcare virgis latera carnifices parant?
En latera, pectus fodere discerptum volunt?
En pectus, & si colla poscunt: offero,

FEL. *Syluane macte, crede te, fili, Deo.*
PVB. *Si liberarit furcifer pueros cruce.*
PHIL. *An te te amoris conscium nostri caput*
Frater relinquam? qui manent casus meos
Et me manebunt, quidquid est atrox ego
Subibo, sancti dum comes fiam gregis.
FEL. *Generose Iuuenis loqueris vt nostros decet.*
PVB. *Insana mulier loquitur vt stultos decet.*
FELIX. *Ahena flammis si paras vndantia,*
Si scorpiones, si rapaces vngulas,
Si quidquid atrox, asperum, triste, efferum,
Molire, Felix corpore excipiet suo.
FEL. *O macte fœlix, macte mi fœlix, precor.*
PVB. *O macte pœnis furcifer, macte, impero.*
IANV. *Animosa fratrum turba primum me addecet*
Subire quidquid dira portendit manus.
O si ferirent fulmina hoc vnum caput,
Meisque plagis vestra constaret salus!
Sed cur coronas fortibus dulces negem?
Taceo, ruamus, quà Dei numen vocat.

ALEXANDER, VITALIS, MARTIALIS,

Iuniores matrem alligatam, fratresque verberibus contusos inueniuntur, & simile certamen ineunt.

O Cruda facta, dire carnificum furor,
Quis innocentis sanguinem totum ebibit?
O chara genitrix, scilicet mortis feræ
Tu Martialem dixeras socium tuæ,
Et ecce spretus viuit, immunis tuos
Cernit dolores, cernit, & fruitur polo.
Mitis tyranne sic truces cessant rotæ?
FEL. *Agnosco filij pectus, & mites fauos.*
O nate, arenam Martyrum tangis pede.
Quorsum parentis optimæ incusas fidem?
Non te reliqui, testor, ô fidum caput
Meas catenas, nobilem mundum Dei,
Hæc vna matrem cura sollicitat piam,
Quod te tuosque parturit fratres polo.
Nunc agite nati, gloriæ nempe inclytæ

Satis ampla seges est, & tyrannum cernitis
Fratrum madentem sanguine.
ALEX. *O dirum caput,*
O generis humani luem, monstrum horridum.
Te sæua Thetys expuit, te Caucasus
Inter Leænas pauit eiectum salo,
Vt tu natares dirus! in fratrum nece,
Taboque sparsos manderes artus virum.
VIT. *O sancta fratrum corpora! ô Iuuenes pij!*
Sic me relicto, teritis in cælum viam?
Desertus ego sum, langueoque inglorius,
Dum vos beata carpitis palmam manu.
O turba fœlix martyrum, plagas date
Exosculari, & imbre lachrymarum graui
Abluere, frater sum, hoc mihi quisquam neget?
Ignaue, plagas lambere informes cupis?
Morare, nam mox si lubet lambes tuas.
MART. *Non est minandum carnifex, gladium exere,*
Quidquid minaris, Martyrum accendit sitim.
Abrumpe molem quà tuum pectus tumet,
En nudo corpus, qua voles ferrum incute.
PVB. *Tu mansuesces vilis vlmorum Seges.*
„ IAN. *Tolerate Iuuenes, insident spinis rosæ.*

„ *O quàm decorum & dulce pro Christo pati!*
„ *Quot exaratum plagis hoc corpus rubet,*
„ *Tot ora laudant robur inuictum Dei.*

ALEX. *Non si per artus Hydra fœcundum meos*
Texat volumen decoloremque ebibat
Venis cruorem, franget indomitas faces
Mentis seueræ: perge si potes incute
Mundi ruentis pondus in pueri caput,
Ridebo moles irritas Christo duce.

VIT. *Exprome dirus quidquid instigat furor,*
Eripere mentem non potes, vitam potes.
O sancta genitrix, ore sacrifico faue,
Ecce auspicatam currimus lethi viam,
Sub te magistra dulce supplicium mori.

PVB. *I, latera, tunde, lictor, & virgis doma.*

FELICITAS canit palo alligata.

FEL. *CVrrite fortes, currite læti,*
Pueri Matris nobile germen.
Currite Christo, Iuuenes sancti,
Hic certamina vestra beabit.
Hic aureolis inclyta lauris,
Cinget tempora diues honore.

Currite fortes, currite læti,
Pueri, castæ pignora tædæ.
Vos è nubibus arduus aureis
Spectat volucri sydere raptus,
Grex martyrij laude superbus,
Texitque pias gloria lauros.
Currite fortes, currite læti,
Nam præcipiti sors cuncta pede
Agitat volucri commissa rotæ:
Sed perpetua fronde virebunt
Quas sancta parat gloria lauri.
PVB. *Quæ tibi leæna admouit vbera? quæ Tigris*
Hoc lacte sæuo finxit ingenium ferox?
In liberorum cæde rides impia?
FEL. *Nescis tyranne, vera quid pietas iubet.*
MART. *Bellua cruoris impia flagrans siti,*
En tibi tepentes sanguinis riui fluunt.
Satiare tandem, si vlli te satias capit,
Vel frusta carnis mande qua rabie soles.
FEL. *O Martialis Martyrum est hæc purpura,*
Quam comparasti: macte virtute ô puer.
PVB. *Auferte, rapite, in carceris nigri specum*
Scelerata capita, dum trucem ludum apparo.

CHORVS.

Ecclesia militans Martyrum constantiam celebrat.

O Sancti Iuuenes inclyta pectora,
Hæc me bella iuuant, currite fortiter,
Nec vos sacrilegus sollicitet furor
Recto tramite deuios,
Libastis radios luminis aurei,
Et nunc æthereâ corda flagrans siti:
Fœlices nimium quos amor Entheus
In molli gremio fouet.
Quid prosunt Erebi monstra voracia?
Quid diræ facies & scelerum faces?
Rident occiduis arma furoribus
Quos ambit clypeo fides.
Axis stelliferi Pleias amabilis,
Sancto conspicui lumine Martyres.
Per me flammigeris curribus ibitis
Cæli templa per aurea.
Nascentes placido lumine videram
Intactos Iuuenes, imbreque lacteo
Foui primitias siderea domus

Dulci germine flosculos.
Et nunc sancta cohors, propositi tenax
Irridet fragili flamina turbine,
Atque immota manet, dum furit in nefas
Et pestes vomit impius.
Splendet purpureis sparsa cruoribus,
Et corpus vacuo corpore dissitum
Christi iungit amor, viuida mortuis
Sic mens flagrat in artubus.
Hæc est ad superos strata rosis via,
Hanc Christus secuit sanguinis orbitam,
Qua surgunt animæ, & curribus arduas
Tentant igniferis domos.
Hâc tædam roseo lumine præfero,
Cunas egregiis mentibus ætheris
Celsi templa noto, quæ iubar aureum
Puris vestit honoribus.
O cælo Iuuenes debita pectora,
Quos augusta tegit purpura Martyrum,
Vobis purpureas læta parat rosas
Cornu gloria diuite.

ACTVS QVARTI PRÆLVSIO.

STant addicti aris Iuuenes feralibus, inque
Pectora iam cultros mergit popa, nec tamen horror
Incußit mortis, nec pallor in ora cucurrit.
At pater æterni pia cui custodia templi
Credita, & immenſi diuinæ clauis honores
Ingentes voluens ægro ſub pectore curas
Pergit iter, tacitæ per amica ſilentia noctis,
Inuiſitque pios, illi ceu ſydus Olympo
Allapſum excipiunt, ſtat circum maxima mater,
Oſculaque in patris Iuuenum globus emicat ardens
Quos poſtquã vnanimes ardere in prælia vidit,
Incipit, & dulci ſanctos affatur amore:
Pergite magnanimi Iuuenes, quà gloria ſurgens

Monstrat iter liquidum pennis, & pectora vobis
Fingite digna Deo: Per tot discrimina rerum
Tendimus ad superos, vbi dulcis meta laborum
Atque immota quies, magni stet prodiga virtus
Sanguinis, & cœli secet imperterrita callem.
Sors melior de clade venit, de vulnere spirat
Gloria, sanguineo, serturque ad sydera curru.
Talia dicentem dudum stupet inclyta pubes,
Et flammam ingentem laudis sub pectore versat.
Stat casus renouare omnes, stat cæca pericla
Tentare, atque animas tanta pro laude pacisci.



ACTVS QVARTVS.

AVRELIVS. PVBLIVS. APOLLONIVS. PONTIFEX,

De extremis ferunt sententiam.

REfringe fulmen impetus, quò te rapis?
Pretium furoris non leue infælix tulit,
Suoque damno sapere didicerunt rei.
Quos præsidere voluit imperiis Deus,
Non hos in vsus militum incinxit globis,
Sacra vt potestas præpes in pœnas foret.
Oculata nobis sceptra cælestes iubent
Affabricari. Perspicax nunquam satis
Scrutatur oculus lubricas rerum vices,
Quādo exerendus hominis in iugulū mucro. Nestor Gratæ.
PVB. Tētata per me cūcta, sed frustra tamē. mat. corrig. pit.
Tormenta rident, gestiunt laceri ictibus.
Scelerata mater filios animat, suo
Pubenique damno semper ad pestes nouas.
AVREL. Humana Publi corpora oderunt pati,

Caduntque plagis, fallor, aut sunt ferrei,
Aut maior agit, & armat inuictos Deus.
Vnde ista dira vulnerum crescit sitis?
APOLL. *Diuinitatem qui sibi fingunt polo,*
Per ferrum, & ignes perditi in mortem ruunt.
Sed esto, fœlix gladius inueniet viam.
Nimis per vrbes serpit Hebræus furor,
Confudit astra, fecit & cælum nocens.
Nam paruulorum clamat ad superos cruor,
Quos luce cassos, dulcis exortes poli,
Primoque raptos vbere, assatos focis,
In frusta scindunt, & sibi apponunt dapem
Regestâ prolis viscera in ventrem Patres.
Dein libido sortis incertum sequens
Per cæca noctis errat, haud cæco gradu.
Ambage ludit Veneris incesta ferox,
Totumque versat sanguinis fas & nefas.
AVR. *O digna pœnis capita! præstabat tamen*
Non experiri, pectora irritat dolor:
Qui mansuetè sæuit, hic melius facit.
APOL. *Differre pœnam noxiis iam non licet,*
Periclitatur fama Romani fori,
Si spolia laudis referat imbelle hoc genus.
PONT. *Et læsa queritur sancta maiestas Deûm,*

Me monstra terrent, monstra supplicij noua.
Vidi rotantem flammeos orbes Iouem,
Vidi frementem cuspide Odrysium partem,
Toruosque vultus horrui. Phœbus iubet
Placare diuos victimæ sontis nece.
APOL. *Per læta molli fertur impietas iugo*
Spectante Roma, Gentium Dominam premit.
Et conticesces in scelere? cunctabere
Hebræa donec turba te gladio petat,
Aut hoc reuellat axe Cyclopum faces,
Tentetque summi templa viduata ætheris?
AVREL. *Per Astra iuro & templa syderei poli*
Nemo feretur impius me Iudice,
Ite, expiate noxiam labem soli.
Si cæsa rursus pullulet ditis seges,
Et ter resurgat, ter seuerum vindicem
Me sentiet, ego colla numerosi mali
Scindam, & recisa victimas superis dabo.
PVB. *Iubesne matrem, & liberos interfici?*
AVREL. *Occide primum liberos, & sanguine*
Tot filiorum pasce maternum scelus.
Quod si cruenta mater istorum nece
Satiata nondum, sæuiat, tu spiritus

Truces retunde, & morte ferali doma.
PVB. *Tuum est iubere: gloria obsequij mea est.*

PONTIFEX, APOLLO, CRISPVS.

Ethnicorum iactantia in pœnis Martyrum.

PONT. *HAec thura summo grata succedent Ioui,*
Spirabit aër lenius tantis sacris,
Phœbusque crine gemmeo texet diem,
Et Parca vitæ fila nectens aurea,
Meliora secla diuidet mortalibus.
Habet, peractum est, vicimus, votum attigi.
Tam pulchra ceruix concidet iussu meo.
Hæc illa mulier liberûm numero tumens,
Quæ vicit albæ multiplex Strophæ genus,
Viduata cernet tecta natorum grege.
Fæcunda Niobe qualis in pœnas fuit,
Quando per aceruos liberûm infremuit minax,
Stridore vasto sparsa telorum seges,
Bissena vidit corpora efferri domo,

Bissena

Bissena sensit viscera abrumpi sibi,
Stetitque viuax in suos fletus lapis.
Sic illa fiat, fallor, hoc lentum nimis,
Non sic abibunt odia, per apertum ruat
Vindicta callem, nobili palma ferox.
Illa illa tandem lerna furialis mali,
Reddat cruorem, debitum munus stygi,
Affusa septem mortuis animam expuat.
Bene est, reuixi, placuit hoc pœnæ genus,
Bis viuit ille, qui malis vitam eripit.
APOL. *Non posco fieri Iupiter, sordet polus*
Quando dolori victima hæc nostro litat.
I, sequere mucro, sequere fœlicem impetum,
Et per cateruas funerum præceps vola.
Nempe (hoc fatendum) languida Phœbus manu
Sparsit sagittas mortibus senis graues
In sena puberûm capita: matri dedit
Veniam haud petenti, latiùs noster furor
Ex asse ludit.
CRISP. *Heu innocentes vrna sacrilegum mo-*
uet.
Victrice læta fertur impietas rota
Per prona sanctorum capita: Magne arbiter
Qui spatia liquidi pura decurris poli,
E

Intende vindex lumen in tantum scelus.

ANICETVS, EVAGRIVS, CRISPVS,

Martyres in carcere inuisunt Anicetus.

COnsurge fœlix anime, & aërias domos,
Et fornicata perpetis regna ætheris
Velox vt ales præpeti cursu seca.
,, O ter beatum Christe, qui seruit tibi,
,, Qui pura mentis incolens sacraria
,, Humana cuncta despicit cœlo altior,
,, Et semper auctus luce propioris poli,
,, Mentem saginat fruge vitali beans.
Huic sordet aurum, & purpura fallax nitor,
Huic vilis anima, nam lucro apponit mori,
,, Huic est egestas quicquid est præter Deum.
O si suprema solueret vitam dies
Compage rupta corporis! fœlix forem;
Fœlix solutus onere membrorum graui,
Ad clara cœli templa remearem celer.
Sed prorogari si velit vitam arbiter,
Qui fila vitæ ducit, atque æui gradus,

Feram lubenter, quod dabit viuam meis.
Et dura quamuis patiar; euincam tamen.
EVAG. *Inter procellas aureum sydus nites*
Venerande præsul, sæuiant venti licet,
Dum fluctuantem dirigis Christi ratem,
Non haurietur gurgite insani maris.
Nunc affluentes gaudiis cumulas tuos,
Dum visis atri carceris clausos specu.
En est beatus Martyrum carcer, quibus
Supplicia diris carnifex vrget modis.
Sed sæuus hospes ferreo poste excubat,
Seruatque vinctos, limine excludet ferus,
Aut te profunda nocte demersum obruet.
Per te verendum capitis augusti decus,
Per dulce si quid præsul ex nobis fuit,
Quò te tuorum tam malè oblitus rapis?
Si te (quod omen magnus auertat Deus)
Atroce cruda fata præcerpunt manu,
Quis dissipatam colliget Christi domum?
Quis efferatum precibus auertet scelus?
Quis tot dolorum franget instantes globos?
CRISPVS. *Morare præsul, quò gradum tendis? rogo,*
Morare, feruet militum excussus furor,

Laxiſque habenis volitat in ſummum nefas.
Si pergis vltrà, pergis in certam necem.
ANICET. *Quid me dolori redditis? ſinite ocyùs*
Ibo, ibo, noſtræ Chriſtus eſt auſpex viæ.
SATEL. *Quò veſter auſus proripit cæcos furor?*
Manete Verpi, ſiſtite, aut vincla inferam.
CRISP. *Compeſce motus efferos, animum doma,*
Non fraude, non vi, non nefandis artibus
Hæc clauſtra duri carceris ſolui volo.
SATEL. *O Chriſtiani inuiſa gens cœlo, & ſolo:*
Decipitis; ite protinus, faceſſite.
CRISP. *Videre per te liceat extremum reos.*
SATEL. *Tentatis etiam ſoluere immunes reos?*
CRISP. *Non tanta rebus perditis audacia.*
Tu ſi videndi copiam dederis, ſat eſt,
Permitte miſeros ſatiet extremus dolor,
Parata merces, lachrymas numinis emam.

ANICETVS, FELICITAS EIVSQVE FILII.

Summus Pontifex eos in carcere consolatur.

FELIC. *PRæsul verende, proximum Christo caput,*
Quis te per arma, per relucentes globos,
Per vim, per ignes, detulit sydus nouum,
Columenque vinctis, vt dolorum particeps
Fieres meorum? testor augustum caput,
Tuique vultus lumen, & sanctum decus,
Tu me beasti, cerne dilectum gregem,
Iuuenesque sanctos, spiritu afflati tuo
Animosa firmant pectora; & mentis faces
Gliscente reparant igne melioris poli.
Iam sacra vouit turba primitias Deo,
Quod restat ecce currimus Christo auspice,
Sed tu labores precibus egregios iuua.
ANIC. *O Christe regum domitor, & cœli arbiter,*
Miserere nostri, cerne dilectam domum,
Quam tu cruore perlitam firmas tuo.

Afflicta nondum teritur hæc arbos solo,
Quæta'nta florum decora tam lætè parit.
O Grex beate, lucidum cæli decus,
Vt te libenter teneo in amplexu meo.
IANV. *Venerande præsul, æqua maiestas polo,*
Quodcumque lucis affluit, donum est tuum,
Tu nos labantes precibus auxisti pater,
Nam vota flammæ vortices vincunt tua,
Dulcesque mediis ventilant Zephyros focis,
Minas tyranni fregimus sub te auspice,
Et nunc supremi turbinis frange impetum.
ANIC. *Vbi ergo fratrum lecta reliquorum manus?*
FEL. *Adsunt.*
ANIC. *Beati queis tenella ætatula*
Nectit corollas, Martyrum insignes notis.
Ocelle fratrum, matris augustæ decus,
Cui præter annos, præter humanam fidem,
Generosus ardet igneæ mentis calor,
Tu viuere simul incipis Christo, & mori.
O macte fili, dulce delicium poli,
Palmamque prehende fortiter, quam offert Deus.
MART. *O quàm decorum stare pro causa Dei,*

„ *Si mihi liceret centies nasci, & mori,*
„ *Christo liberet centies nasci & mori.*
„ *Est liberalis conditor mundi Deus,*
„ *Cui reddere animam, quam dedit, dulce est lucrum.*

Curramus ergo fortiter primam Deus
Fortunat aciem Martyrum, restat mori.

Angel. ex nube. *Pergite magnanimi Iuuenes, vos inclyta cœlo*
Palma manet, sedes hic vobis fata quietas
Ostendunt, texuntque piam per dura salutem
Funera, sic crescit pulchrò de vulnere virtus.

ANIC. *Facunde cœli pulsio quò te rapis?*
Quid ora primis clara perspersus rosis
Maiorque Eoo nubibus condis caput?
Morare, tellus parturit cœlo nouos
Hodie colonos, quos tui currus vehant.
O state Iuuenes patriis virtutibus,
Ne læua mentem pestis incestet piam.
Humana cuncta parua sunt, sed spernere
Non parua res est. quos fugax ludit bonum,
Et bracteatis illitus rebus decor,
Hi decora famæ ludicra, & fluxas opes
Sudore pariunt irrito, & parto incubant.

Qualis genistis instruens bombix opus,
Diducta filo viscera excernit leui,
Et tot fluentes colligens ouo sinus,
Se ipse cludit opibus implicitum suis,
Sibi sepulchrum corpore exeso parat:
Sic gazam auaro corde sudatam impia
In damna condunt. Luce nos pura editos
Afflauit æthra, quærimus regna ætheris,
Non indecoro puluere & sudoribus
Quos rapida secum temporis tollit rota,
Sed cœli honores fecit æternos Deus.
O qui feroces contudit Nili minas,
Regisque mersit copias rubro mari,
Vestros labores rite fortunet Deus.
Det militare cœlitus, det vincere,
Et vos trophæis augeat plena manu.

CRISPVS, SYLVANVS, PRAEFECTVS,

Crispus capitur.

CRISP. *Heu beati carceris linquo fores,*
Lentusque torpor conscios tardat pedes.
Reuocabo gressum.
SYLVA. *Crispe mi quid vis tibi?*
CRISP. *Heu me relinquis perditum, dum laureas*
Ambis beatas, immemor prorsus mei.
Tecum viresco pube vernanti puer,
Fui laborum conscius quondam tibi,
Dulcisque lusus, studia prætextæ simul
Agitata nobis flore primæuo diu
Fixere pectus, mutuæ flammæ capax.
Et me relinquis, nec tibi videor tuis
Dignus triumphis.
SYLV. *Crispe quid ais? Crispule*
Tener, meorum prima lux sodalium,
Te mente tota, pectore amplector pari,

Tecum paratus viuere, & tecum mori.
PVB. *Quis parricida carcere eduxit reos?*
Per ſancta iuro numina vltricis Deæ,
Huic irrogabo debitas ſceleri neces.
Syluane fare, quid rei tecum gerit.
Es Chriſtianus? CRISP. *Sum.*
PVB. . . . . *Fateris furcifer,*
Nec tibi ruborem commouet tantum ſcelus?
CRISP. *Cur me puderet ſanguinis, cur me mei?*
PVB. *Sed te pigebit carceri addictum caput.*
Iniicite vincla protinus nefario,
Tenete, rapite, facinoris pœnas dabit.
CRISP. *O ſancta vincla, ſuauiter vos oſculor.*
Dulces catenæ, rem mihi gratiſsimam
Publi, dediſti.
PVB. *Mergite hanc tenebris luem,*
Et comparate ſupplicia, quæ molior.

CHORVS

Deplorat ſanctorum cruciatus,& cœleſtibus auxiliis animatur.

O Caput puris radiate flammis,
Phœbe qui curru veheris per aſtra,
Conde flammatum iubar, & volantes
Merge quadrigas.
Lugeat tellus tenebris amicta,
Et piis cœlum lachrymis liqueſcat,
Lugeant montes, querulo ferantur
Flumina lapſu.
Lugeat marmor Sypili beatum,
Et come dulces nemorum, ſuſurros
Triſte deduc[illegible] Notus & mandentes
Ventilet alas.
Proh ſcelus tantum Deus an videbit?
Cædibus gaudens rabies triumphat,
Et volat palma petulans cruenta
Sanguine noſtro.

Chorus cœleſtis.
Gloria.

Soluite luctus Iuuenes caſti,
Soluite longis ſatiata malis
Pectora, veni demiſſa polo
Currus volucri turbine raptæ:
Textas rutilo flore corona,
Palmæque decus nobile fructu,
Fero Martyribus dona beatis.
ANG. I. *Laniare poteſt corpora ferrum,*
Sed mens remanet conſcia recti.
Immota ſuis ſedibus ardet;
Temnit rabiem, Marte caduco
Dum cæca furit, iactatque minas.
ANG. II. *Venient mecum Iuuenes ſancti,*
Mecum celeri nubila curru,
Mecum ſydereæ templa plagæ
Scindent ſuperis comites gregibus.

Chorus.

Dulce delicium poli,
Solatiolum meæ

Mentis, Gloria quò fugis?
Mane; quò properas soror?
Cur te, te mihi surripis,
Mane, quò properas soror
Currus turbine concita?
Tu licet rapida potens
Cæli templa seces rota,
Et condas nebulis caput,
Te tamen video soror,
Et vrges magis ac magis.
Mane, quò properas soror?
Vt pingue cœli defluis,
Exundat vber imbribus
Multoque Christus nectare
Perfundit ora depluus.
O dulce germen ætheris
Animula dulcis, eia quid
Moraris? alas explica,
Sinusque pande peruios,
Deuota numen accipe.
Mane, quò properas soror?
O si te liceat frui!
Non me Mænalij sues,
Non terror Nemea, & grauis

Atque humili sanctorum aras veneramur acerra.

O fortunati dum curret maximus æther,
Et fœtam implebit genitali semine terram:
Aequora dum verrent caudis immania Cete,
Et luci, & tenebris medium sol diuidet orbem.
Vester honos terris, terris decora alta manebunt,
Quæ non labentes anni rubigine soluant.

ACTVS



ACTVS QVINTVS.

PVBLIVS IANVARIVS. CHORVS.

Ianuarij certamen.

PVB. QVid segnis anime restitas ? quid fluctuas?
Exprome tetra supplicia, dira, horrida,
Macta scelestos, tot necis plagis feri
Quot membra spirant corporis; videat parens
Sparsum cruorem, dissitos artus, suis
Auulsa truncis capita, laniatas manus,
Et functa septem mortibus, viuat suo
Letho superstes: quid moror frustrà pius?
Horrescit animus, corda mitescunt fera,
Dum video Iuuenem, moueor, immotus tamen.
Tune ille superas indolis quondam ardua
Ad magna natus decora Romulei Iouis?
At nunc pudendus, vilis & dispar tui.

Afflicta nondum teritur hæc arbos solo,
Quæta'nta florum decora tam lætè parit.
O Grex beate, lucidum cæli decus,
Vt te libenter teneo in amplexu meo.
IANV. *Venerande præsul, æqua maiestas polo,*
Quodcumque lucis affluit, donum est tuum,
Tu nos labantes precibus auxisti pater,
Nam vota flammæ vortices vincunt tua,
Dulcesque mediis ventilant Zephyros focis,
Minas tyranni fregimus sub te auspice,
Et nunc supremi turbinis frange impetum.
ANIC. *Vbi ergo fratrum lecta reliquorum manus?*
FEL. *Adsunt.*
ANIC. *Beati queis tenella ætatula*
Nectit corollas, Martyrum insignes notis.
Ocelle fratrum, matris augustæ decus,
Cui præter annos, præter humanam fidem,
Generosus ardet igneæ mentis calor,
Tu viuere simul incipis Christo, & mori.
O macte fili, dulce delicium poli,
Palmamque prehende fortiter, quam offert Deus.
MART. *O quàm decorum stare pro causa Dei,*

„ *Si mihi liceret centies naſci, & mori,*
„ *Chriſto liberet centies naſci & mori.*
„ *Eſt liberalis conditor mundi Deus,*
„ *Cui reddere animam, quam dedit, dulce eſt lucrum.*
Curramus ergo fortiter primam Deus
Fortunat aciem Martyrum, reſtat mori.
Angel. *Pergite magnanimi Iuuenes, vos in-*
ex nube. *clyta cœlo*
Palma manet, ſedes hic vobis fata quietas
Oſtendunt, texuntque piam per dura ſalutem
Funera, ſic creſcit pulchrò de vulnere virtus.
ANIC. *Facunde cœli pulſio quò te rapis?*
Quid ora primis clara perſperſus roſis
Maiorque Eoo nubibus condis caput?
Morare, tellus parturit cœlo nouos
Hodie colonos, quos tui currus vehant.
O ſtate Iuuenes patriis virtutibus,
Ne læua mentem peſtis inceſtet piam.
Humana cuncta parua ſunt, ſed ſpernere
Non parua res eſt. quos fugax ludit bonum,
Et bracteatis illitus rebus decor,
Hi decora famæ ludicra, & fluxas opes
Sudore pariunt irrito, & parto incubant.

Qualis genistis instruens bombix opus,
Diducta filo viscera excernit leui,
Et tot fluentes colligens ouo sinus,
Se ipse cludit opibus implicitum suis,
Sibi sepulchrum corpore exeso parat:
Sic gazam auaro corde sudatam impia
In damna condunt. Luce nos pura editos
Afflauit æthra, quærimus regna ætheris,
Non indecoro puluere & sudoribus
Quos rapida secum temporis tollit rota,
Sed cœli honores fecit æternos Deus.
O qui feroces contudit Nili minas,
Regisque mersit copias rubro mari,
Vestros labores rite fortunet Deus.
Det militare cœlitus, det vincere,
Et vos trophæis augeat plena manu.

CRISPVS, SYLVANVS, PRAEFECTVS,

Crispus capitur.

CRISP. *EHeu beati carceris linquo fores,*
Lentusque torpor conscios tardat pedes.
Reuocabo gressum.
SYLVA. *Crispe mi quid vis tibi?*
CRISP. *Heu me relinquis perditum, dum laureas*
Ambis beatas, immemor prorsus mei.
Tecum viresco pube vernanti puer,
Fui laborum conscius quondam tibi,
Dulcisque lusus, studia prætextæ simul
Agitata nobis flore primæuo diu
Fixere pectus, mutuæ flammæ capax.
Et me relinquis, nec tibi videor tuis
Dignus triumphis.
SYLV. *Crispe quid amis? Crispule*
Tener, meorum prima lux sodalium,
Te mente tota, pectore amplector pari,

Tecum paratus viuere, & tecum mori.

PVB. *Quis parricida carcere eduxit reos?*
Per ſancta iuro numina vltricis Deæ,
Huic irrogabo debitas ſceleri neces.
Syluane fare, quid rei tecum gerit.
Es Chriſtianus? CRISP. *Sum.*
PVB. . . . . *Fateris furcifer,*
Nec tibi ruborem commouet tantum ſcelus?
CRISP. *Cur me puderet ſanguinis, cur me mei?*
PVB. *Sed te pigebit carceri addictum caput.*
Iniicite vincla protinus nefario,
Tenete, rapite, facinoris pœnas dabit.
CRISP. *O ſancta vincla, ſuauiter vos oſculor.*
Dulces catenæ, rem mihi gratiſsimam
Publi, dediſti.
PVB. *Mergite hanc tenebris luem,*
Et comparate ſupplicia, quæ molior.

CHORVS

Deplorat ſanctorum cruciatus, & cœle-ſtibus auxiliis animatur.

O Caput puris radiate flammis,
Phœbe qui curru veheris per aſtra,
Conde flammatum iubar, & volantes
Merge quadrigas.
Lugeat tellus tenebris amicta,
Et piis cœlum lachrymis liqueſcat,
Lugeant montes, querulo ferantur
Flumina lapſu.
Lugeat marmor Sypili beatum,
Et come dulces nemorum, ſuſurros
Triſte deducant Notus & mandentes
Ventilet alas.
Proh ſcelus tantum Deus an videbit?
Cædibus gaudens rabies triumphat,
Et volat palma petulans cruenta
Sanguine noſtro.

Chorus cœleſtis.
Gloria.

Soluite luctus Iuuenes caſti,
Soluite longis ſatiata malis
Pectora, veni demiſſa polo
Currus volucri turbine raptas
Textas rutilo flore corona,
Palmæque decus nobile fructu,
Fero Martyribus dona beatis.
ANG. I. *Laniare poteſt corpora ferrum,*
Sed mens remanet conſcia recti.
Immota ſuis ſedibus ardet;
Temnit rabiem, Marte caduco
Dum cæca furit, iactatque minas.
ANG. II. *Venient mecum Iuuenes ſancti,*
Mecum celeri nubila curru,
Mecum ſyderea templa plagæ
Scindent ſuperis comites gregibus.

Chorus.

Dulce delicium poli,
... ſolatiolum meæ

Mentis, Gloria quò fugis?
Mane; quò properas soror?
Cur te, te mihi surripis,
Mane, quò properas soror
Currus turbine concita?
Tu licet rapida potens
Cœli templa feces rota,
Et condas nebulis caput,
Te tamen video soror,
Et vrges magis ac magis.
Mane, quò properas soror?
Vt pingue cœli defluis,
Exundat vber imbribus
Multoque Christus nectare
Perfundit ora depluus.
O dulce germen ætheris
Animula dulcis, eia quid
Moraris? alas explica,
Sinusque pande peruios,
Deuota numen accipe.
Mane, quò properas soror?
O si te liceat frui!
Non me Manalij sues,
Non terror Nemea, & grauis

Lernæ bellua centuplex
Mentis deiiciet gradu.
Non me fusa globis flamma voracibus,
Non me stricta seges Martia terreat.
In me cuncta crepent tela Cyclopea,
Conuulsisque ruat machina sedibus,
Spectabo impauidus sydera labier.



ACTVS QVINTI

PERIOCHE.

Attigimus metam, perfecto lætus honore,
It sacer ad superos cœtus, cognataque lustrat
Sydera, & æternis collucet in ignibus ignis.
At tu (magna parens) quid vilia marmora quæris?
Queis sanctos tumulare artus, & funera septem
Claudere festinas, surgat licet ardua moles
Pyramidum, & circum gemmarum lucidus ordo;
Non capit hoc tantum marmor decus: Inclyta cælo
Corpora fulgebunt, stellarum vincet honores
Gratia membrorum reparatæ ad lumina vitæ.
Nos tantum exiguos functis libamus honores,

Atque humili sanctorum aras veneramur acerra.

O fortunati dum curret maximus æther,
Et fœtam implebit genitali semine terram:
Aequora dum verrent caudis immania Cete,
Et luci, & tenebris medium sol diuidet orbem.
Vester honos terris, terris decora alta manebunt,
Quæ non labentes anni rubigine soluant.

ACTVS



ACTVS QVINTVS.

PVBLIVS IANVARIVS. CHORVS.

Ianuarij certamen.

PVB. QVid segnis anime restitas? quid fluctuas?
Exprome tetra supplicia, dira, horrida,
Macta scelestos, tot necis plagis feri
Quot membra spirant corporis; videat parens
Sparsum cruorem, dissitos artus, suis
Auulsa truncis capita, laniatas manus,
Et functa septem mortibus, viuat suo
Letho superstes: quid moror frustrà pius?
Horrescit animus, corda mitescunt fera,
Dum video Iuuenem, moueor, immotus tamen.
Tune ille superas indolis quondam ardua
Ad magna natus decora Romulei Iouis?
At nunc pudendus, vilis & dispar tui.

Vt tetra facies, diráque illuuies sacros
Turpant honores, quod loquor, lucro datur,
Aduerte mentem dum potes. feras dolor.
,, Manes sepultos vrget: At lentas ferus
Occludis aures; fateor, heu! miseret tui,
Miserentur omnes, durus es solus tibi.
O flecte mentem dum potes, flecte ô puer:
Prompta est volenti semper ad superos via.
Epulare diuis, esto, tu facies metu,
Veniam meretur facinus expressum metu.
IANV. *Crudele sapit hæc lenitas Publi, mone*
Quod Christianos deceat, & castam fidem.
Parere possum, debeo; natus sequor,
Ad iussa flecti cereus. Recta impera.
Cæsum flagellis cernis Ausonium genus,
Quod mos Quirini, & Porciæ leges vetant,
Non quod verendos Cæsares læsit, Deum
Teque ipse Cæsar testor, hoc numquam meam
Fidem inquinauit, supplicia dira exigis
Quod Christianus numen æternum colam.
Sed esto, mentem nulla mutabit dies,
Non si trecentas compares vni cruces,
Et quicquid atrox stygia molitur manus:
Manebo semper vnus, & similis mei,

Nec decora fratrum, dulce nec matris caput
Scelere impiabo, Quam dedit vitam Deus
Deo refundam, Victimis iſtis lito.

PVB. *Vt tete aniles fabulæ ludunt, miſer*
Prodigere vitam ſcelere pro tanto potes

IANV. *Obtundis aures ludicris, ferrum exere.*

PVB. *Crudele pectus, te nihil miſeret tui.*

IANV. *Crudelis eſto; ſi miſeret, & eris pius.*

PVB. *Occludis aures, quod iubet Cæſar feram.*
Tu vim intuliſti, capite te damnat reum,
Iubetque virgis plumbeis cædi ad necem.

IANV. *Hæc manſuetus Cæſar, hæc princeps pius.*
Eſto rependam quod iubet, Publi expedi,
Parere poſſum, fortiter poſſum pati,
Facere ſceleſte neſcio; morior lubens,
Lubens honorum cardinem extremum premo,
Nec me iuuentus flore primæuo decens,
Nec alta reuocant decora magnificæ domus.
Maturus æui eſt qui poteſt Chriſto mori.
Quicumque cælo naſcitur vixit ſatis:
Da Chriſte famulo robur in pœnas nouum,
Da mentem ineluctabilem, da te mihi,
Eamus ergo; preſto ſum, miles veni.

Chorus.

I pede fausto Iuuenis sancte,
I pede fausto quò tua virtus
Generosa vocat; cernis vt igni
Flammata sacro pectora feruent.
Cernis vt altæ fax egregia
Mentis, nebulas discutit omnes.
I pede fausto Iuuenis sancte,
I pede fausto quò tua virtus
Generosa vocat, te læta cohors
Fratrum meritò tota sequetur.
IANV. *Obsecro parenti, redde supremum mei*
Monumentum amoris: annuli gemmam vides,
Vbi liliato virgo consurgens thoro
Miti corona syderum irradiat caput.
Hos (nempe) amores, mater has curas dedit.
Cùm prima risit gratia amorum, mihi
Sensim per vdum traxit ætatis, Dei
Sanctos honores, indidit sensus pios:
Gessitque matris, & magistrorum vices.
Nunc sancta reddo munera, & matris memor
Ad destinatum pergo suppliciis locum.

Chorus.

I pede fausto venerande puer,
I pede fausto, tu prima feres
Præmia mortis, præmia laudis,
I pede fausto venerande puer.

IANV. *Verte & reuerte carnifex, tunde, ebibe*
Hæc expostfcenio. *Nostrum cruorem, totus in plagas feror.*
O Christe! ô Christe! ô Christe!

PVB. FELIX. PHILIPPVS.

Fratri moribundo per martyrium aggregantur.

PVB. E*Xanimis efflat spiritum Iuuenis ferox.*
Cessate, fratres cæteros producite,
Cernite cadauer fratris, hic pœnas luens
Pretium furoris dedecus mortis tulit.
Nunc sapere oportet, curritis metam vltimam,
Non est tonandum, fulmen excussum ruit.
Sed vestra virtus ignea, & formæ decor

Meliora spondent, sapite dum præsto est salus.
FEL. *Vis vt te adorem bellua exitiis madens?*
Quæ taminasti templa sydereæ plagæ?
Germane, frater sanguine, & meritis parens,
Da, veste tergam vulnera, & sacro lauem
Perfusa tabo. Magna pars nostri stetit
Sinu sub isto, magna pars nostri præit,
Iam tecum in astra. Perge, moribundam erige
Ceruicem, & oculis vltimas castis faces
Infunde nostro pectori: quò te rapis?
Viuacis animæ si quis expirat calor,
Premam labellis non leuem partem mei.
PHIL. *O prima nostri fax chori frater: tuum*
Aspice Philippum, lumine extremo aspice.
Philippe viuis pondus ingratum solo?
Et fratris oculos vrget æternus sopor.
Generose miles, fata vicisti aspera,
O Dextra fœlix millies te exosculor,
O laureatum cœlitùs Christo caput.
O Ianuari, loquere supremum mihi.
IAN. *Vici tyrannũ vt cernitis Christo duce.* Hæc mor-
In me videte, quàm potens Christi manus. bun-dus.
Certate iuuenes optimi, matre auspice,
Complexum in astris nulla præscindet dies.

PVB. *Hic vt videtis spiritum execrabilem*
Exhaustt; at vos Cæsar incolumes cupit,
Seruate vitam, Cæsari, vobis, Deis.
PHIL. *Blandiris etiam membra dum lanias,*
Nero,
Tu bella misces, bella cœlituum choro.
Vis experiri quid animus noster potest?
Penetrale cordis vulnere ingenti fode,
Scrutare latebras viscerum, velle, eripe,
Diuulsa truncis membra per partes seca.
Effæminatum forsitan censes gregem,
Qui vitæ emamus dedecus vitâ breui?
Heu perge, perge, vernat hic sanguis tibi
Sorbendus auidis faucibus, perge, obsecro.
PVB. *Ite, & scelestos fustibus lentè obrutos*
Tundite, supremum spiritum dum exhauriant.
FELIX. *Philippe frater, restat actus fabulæ*
Extremus, hîc est elaborandus mihi
Et tibi, ruamus fortiter, quò nos vocat
Generosa mater, fratris & manes pij.
PHIL. *O dulce amorum conscium pectus mihi,*
Moriamur vnà fortiter, dulce est mori.
Calcare fratris optimi vestigia
Ardeo: ruamus ad necem Christo duce.

Suprema verba Martyrum.

FELIX. *CHriste patris summi, mundi cœlestis origo,*
Quò duce sydereis incensa palatia flammis,
Quò freta voluuntur, terræq; hac mole quiescũt.
Quò primùm veniente excessit decolor ætas,
Impiaque incestam soluerunt sæcula noctem.
En tibi deferimus puræ libamina mentis,
Nunquam degeneres, & magnæ lucis egeni.
Luctantes animos genitor tu corpore solue,
Cœli pande vias, & nos rape in omnia tecum.
PHILIP. *Audite astrorum ignes, & vaga murmura Ponti,*
Et moles operosa soli: tuque inclyta Roma,
Inclyta bellorum spoliis, magis inclyta Roma.
Si cœli sequerere vias. Labentibus annis,
Optatum veniet tempus, quo ferrea proles
Desinet, & sanctis mitescet legibus orbis.
Hoc precor, hanc animam tam fausta in sæcula fundo.
Non tristes diras, & Auerna sonantia flammis
Imprecor in patriam, sed simplex hostia libo

Sanguinis hoc quodcumque est: testor te mea Roma,
Saeua parens, dilecta tamen, fluit haec tibi vena,
Et me cura tui ad manes comitabitur imos.

PVBLIVS. FELICITAS.

Obtruduntur illi tria filiorum corpora, & in eius conspectu quartus mittitur ad necem.

PVB. *AGe nunc triumpha, filij regnant tui.*
Agnoscis istos? exitũ inueniũt mine.
FEL. *Agnosco nostra viscera, & teneo sinu.*
Faelix corona martyrum! vos lugeam?
Lugere iniquum est, queis mori votum fuit.
Non flere durum est, saxa luxerunt prius.
Humanitatis lachrymas dare quis vetat?
Me prima matrem fecit haec fratrum trias,
Me fracta primis verba praetentans modis,
Matrem vocauit, & per aetatis gradus
Haec se iuuentus aurea explicuit mihi;
Vt veris ortu solis ad teneras faces
Sinus hiulcos mollis expandit rosa.

Nunc orbitatis vulnus est primum meæ,
Sed expetitum. Quæ ora? cui primum eluam
Aspersa tabo? frontis offundit notas,
Miscetque vultus vulnerum impactus cruor.
Errare nescit caritas: *septem mihi*
Vnus fuêre, fecerat & vnos amor.
Durate solùm funere in tanto manus,
Nondum litatum est: heu quibus plagis fluunt
Concisa membra, numerem ego, numerem ocyùs,
Non sunt pudẽdæ. Martyrum illæ sunt opes,
Illi lapilli, *vulnus est quicquid premo,*
Quod fuerat olim corpus in vulnus coit:
Tantum refossis artubus factum est iter
Ingẽtis animæ. *Misera quid primum querar?*
Vobis superstes viuo, primum istud queror.
Heu nec supremo licuit affatu frui,
Nec osculari proximæ addictos neci:
Non licuit oculos claudere exitijs graues.
Ah! si supremos halitus oris sacri
Legere fuisset licitum, & animam exugere,
In vos vicissim spiritum efflassem meum.
Succumbe natura quid agis? vincat Deus.
Iam prima pompæ fercula emisi polo.
O dulce pondus! ô capita! frontes, comæ,

O digna ceruix ſyderibus, ô ſyderum
Radiata flammis lumina, ergo vos ſopor
Vrget beatus, molliter decumbite,
Vos Chriſtus olim lumine afflabit nouo.
PVB. *Tu prima luges funera, ô Felicitas,*
Nondum laboris cernis annales tui.
FEL. *Semper minaris, & tonas, & fulminas.*
Non habeo pectus iſtud ærumnis rude.
Exprome quidquid ſpirat indomitus furor:
Hodie ſacrabo Martyres ſeptem polo.

SYLVANVS.

Heu cerno fratrum corpora, & crudam necem,
Video cruore perlitos artus ſuo.
Vultuſque dulces pallida morte obſitos.
Et viuo terris, gentis opprobrium meæ.
Miſer quid egi? quod nouum admiſi ſcelus?
Vt me relicto templa penetrarent poli?
Heu vitæ inertis dedecus, quò te rapis?
Syluane, frater Martyrum, calcas ſolum.
Iuuenes beati, ſi quid egi ignoſcite,
Veſtros videtis ſqualidum fratrem ad pedes,
Qui longa vitæ tædia, & nexus graues
Animæ peroſus, mortis explorat vias.
FEL. *Syluane fili dignus es fratrum choro,*

Quid te relictum quereris? en ordo tuus:
Progredere fili, sequere Germanos, tibi
Suo cruore semitam astrorum notant.
Hac itur; ista scanditur cœlum via.
Perge, euocaris, hic habet vocem cruor.
PVB. *Ite & scelestum ex arce precipitem date.*
Luctatus ægris spiritus conatibus
Impura linquat corpora. FEL. *O nate.*
SYL. *O parens.*
Iam sum beatus, fratribus dignus comes,
In astra rapior. FEL. *Nate da matri osculum.*
Ori insidentem spiritum tecum rape.
Animula dulcis, patris effigies tui,
I vince mortem, vince tartareos canes.

Suprema Oratio Martyris.

SYL. *Vos æternæ acies, & ineluctabile numen*
Testor, sacrilegæ non me periuria mentis
His onerant vinclis, & acerbo funere mergunt.
Mens sancta, & magni sub patris lumen itura,

(Spero equidem) vitam largo cum sanguine fundo.
Hauriat hos latices Cæsar, scrutetur euntis
Relliquias animæ, magni sat sanguinis istud
Pectus habet, Christi æterno quod reddat amori.

M. AVREL. FELIC.
ALEXAN. VITAL.

Imperator hortatur Felicitatem, vt tres ex filiis reliquos seruet; sed frustrà: nam generosa constantia martyrium obeunt.

AVR. *Vbi mater? vbi tandem illa natorum grege*
Animosa mulier? hæccine est fæcunditas?
Auferte Iuuenum corpora, & producite
Ternos minores. FOEL. *Efferam, sinite, efferam.*
Satis superque virium, dulce est onus
Sua ferre tumulo viscera.
MART. —— *Obsecro indica*
Genitrix, vbi fratres mei? F. *Tuto in loco.*

Fili. ALEX. *Beati nempè iam cœlum tenent.*
Et nos relicti gemimus inuisum diem.
AVREL. *O misera, testor aureum lumen poli.*
Me vulnerasti, non ferus sum, & ferreus,
Vt me dolores non cruentarint tui.
Felicitas dulce est sapere, quod perditum est
Omitte, custodi hasce relliquias domus.
Ego iusta reddam mortuis summum decus.
Vtinam refracto ditis adamante ocyùs
In templa lucis surgerent, illos sinu
Nostro fouerem, gloriaque auctos noua,
In astra cunctos paribus eueherem rotis.
At qui supersunt regia excipiam domo,
Nutrix fouebit aula generosos duces,
Nostroque cre cent murice ad summas opes.
Largire mea lux, istud extremum, rogo
Satis superque funerum, mentem doma,
Medicina miseris velle sanari fuit.
FELIC. *Tu mansuescis Cæsar, at crudeliter.*
Quid orbitatem feminæ afflictus gemis?
Quam tu intulisti? nec tamen possum queri,
Enixa Christo liberos, Christo dedi.
„ Hæc est beata dulcis hæc fœcunditas,
„ Cælo creare liberos, & reddere.

Ad templa cœli quatuor natos parens
Præmisi, & illi me beatorum ex choro
Nunc intuentur, & poli sternunt iter.
Lenit dolorem hoc dulce solamen meum,
Quod non scelesti, criminosi, maximo
Non infideles principi, mortem oppetunt,
Scis Imperator, nec meam incusas fidem.
AVREL. *O quæ libido mortis! o dementia!*
Non hic leænas vrget in sobolem furor.
At vos parentis finite cerebrosum caput.
Parete monitis, dulcis est vita, & breuis
Ne gestientes gloriæ prima face
Subite nigri Tartari tristes domos.
ALEX. *Etiam patere verbulis pectus putas?*
Miser quid egi genere non dignum meo,
Vt Cæsar animos molliat blanda prece,
Speretque pectus posse blanditijs capi?
Ad verba surdus, surdior sum ad verbera.
Exequere Cæsar; quid nouas nectis moras?
Exequere Cæsar, conde me in fratrum sinum.
O ter beati martyres digni polo,
Suscipite fratrem, conscium vobis caput,
Qui genere vester est, erit vester fide.
Animi innocentes syderum puras domos

Incolitis, albis martyrum mixti choris.
Spectate vestræ obsecro relliquias domus,
Spectate vestrum sanguinem, vestrum decus,
Felicitatis viscera, & castas opes.
Germani adeste, numen intrepidus sequor,
Quacumq; ducit, vestrum in amplexum euola.
AVREL. *Quæ dira lucis odia, quæ vesania?*
VITAL. *Non fractus in me si ruat mundus (parens)*
Non si cauernis Tænarus nutet fremens,
Non si caterua pestium obsideat latus,
Mutabo mentem quam mihi Christus dedit.
AVREL. *Ite, & securi peruicaces cædite,*
ALEX. *O læta mortis nuntia! ô niueum diem!*
VIT. *Hæc vox ad aures mellea emanat meas.*
FEL. *Ite parentis solatiolum,*
Ite beati iuuenes, sacri.
Pignora lecti, calcate gradu
Tartara forti, vos læta cohors
Fratrum aureolis cincta coronis.
Ad templa poli radiata vocat.
VITAL. *O Christe pueros numine afflatos pio,*
Largire mentis robur inuictæ tuis.
Tibi innocentes victimæ morimur, tibi

Vitam

Vitam sacramus, genitor, hanc mentem excipe
Quam tu dedisti, iunge nos fratrum globo.
FEL. *Valete dulces Liberi,* nunc sum parens.
Vos matre digni liberi, & digni Deo.
Lugete matres pignora instabilis thori,
Quæcumque cæcus messuit turbo necis
Vitæ fugacis vberi applicito: Mihi
Date date gestem textiles manibus rosas,
Queis hos coronem filios: non est mori
Quod facitis hodie, spondeo, non est mori.
O nostri amores, ni mori est nasci polo.
Valete iuuenes optimi, quid fratribus
Referetis? adero, restat hoc nobis onus.
Adero, præite, mox sequar, prima impigrè
Certare cœpi, præmium referam vltima.
MAR. *Egone terræ filius, cur me parens*
Terris relinquunt? rapiam & ad superos iter.

AVREL. MARTIAL. FELICIT.

Martialis vltimi ex filijs martyrium.

AVR. *Hic restat vnus liberorum de grege,*
Hæc vna superest tabula naufragij
tui.

Hanc tu misella dum potes, complectere.
Animula dulcis, mite delicium poli,
Hominum voluptas, atque amor cælestium.
Manare cernis omnium fletu genas.
Filiole, morti mundus illachrymat tuæ;
Mouere tantis lachrymis, da te tibi,
Ah vis micantem flore primo ætatulam
Decutere cæci turbinis vasto impetu.
Miserere fili dum potes, da te mihi.
Afferte vestes imbre sarrano graues,
Afferte, puerum vestiam nostra manu.
Quid peruicaces tendis in fatum manus?

CHORVS

Palatinæ Iuuentutis.

O Flecte puer, pectora flecte,
Rigidamque doma numine mentem:
O carpe puer dulcia vitæ
Præmia, cur te proripis orco,
Heu funestæ victima mortis?
Labitur astris rapidum tempus,
Et mors miseris properata venit.
Miserere mei, miserere tui.

Fœlix nimium, fœlix quisquis
Aliena videt damna incolumis.
O parce puer, parce tenello
Vitæ flori, crudele sapis.
FEL. *O Martialis lumen afflictæ domus,*
Miserere matris nate, miserere, obsecro.
Emancipatum Cæsari subdes caput?
Non es tuus, non es meus, sacer es Deo.
Fili tuere candidum cœli globum,
Tuere puras solis ardentis faces,
Tuere terram, & spatia prætexti maris,
Qui cuncta iussu torquet, & flexus agens
Aeuum in retortos ducit æternum gradus:
Hic te creauit, corporis molle hoc lutum
Compage vinxit ossium, hic vitam dedit.
Te dulce pondus mensibus denis tuli
Clausum sub aluo: visceribus auctum meis,
Eductum in auras lacte nutriui affatim,
Gessique matris semper, & gerulæ vices.
Et nunc repende gratiam matri puer:
Per sancta iura nominis fili mei
Miserere, fratres sequere generosus tuos:
En tibi beati martyres tendunt manus.
MAR. *Quid me querelis mater exanimas tuis?*

Ne Christo amicum, nec mihi castas opes
Prodere tyranno, regnet æternùm fides:
Aetate vixi fratribus cunctis minor,
Sed mente pura similis, & similis fide.
Nec te, nec illos mentiar, non si meos
Totus per artus spiret Aetnæus vapor,
Sed tu meorum carnifex fratrum, rogo,
Vis experiri quid valeo? flammas iube
Costis aheni subijci, ferrum exere,
A dure, torre, scinde, lania, diuide,
Seruire nequeo turpiter, possum mori.
AVREL. *O impudentem pectoris dementiam!*
Collum securi subijcite, videat parens,
Natique si velit cruorem exsorbeat.
MART. *O me beatum, mater, ô lætum diem!*
Accede lictor, præsto sum, ferrum explica:
Rex summe regum Christe, me sisto tibi,
Meos labores aspice, & præsens ades,
Largire mentis arduæ celsum decus,
Et me refertum luce cœlesti foue.
Da terere fratrum fortiter celsos gradus,
Da me solutum corporis nexu graui
Secare nubes aureas, da præpetem
Ferri per astra qua mei fratres micant.

FELIC. *Age fortiter, age Martialis fortiter.*
AVREL. *Rapite, tenete peruicacem fœminam,*
Quo se furore proripit? compescite.
Insana, tumulum filijs septem expedi;
Agnoscis istos liberos, Felicitas?
FEL. *Agnosco, specto, lætor, ac exosculor,* **obtruduntur illi capita.**
Vitalis *ille est, hic* Alexander *meus.*
Hoc Martialis *spirat excisum caput,*
Et se parenti nobile in palma refert:
Hac parte lacera membra Syluani *iacent.*
Quæ pars sit hæc filij, haud scio, pars est tamen.
Sed quota parenti portio in luctus redit?
Tulêre scopuli maximam partem mei,
Meo cruore perlitæ rupes fluunt.
Date membra reddam filio, & me mihi.
O effluentis prodigus venæ cruor!
O sacrum amoris pignus! ô roseum decus!
Iuuenes beati vincimus Christo auspice:
O Martialis floscule intacti gregis,
Animula dulcis, debitum cælo caput,
Rabies tyranni funditus per te occidit.
Actum est, cadendo surgimus supra polos.
Cœli per artus liberûm explicui viam.
Supreme regum Christe, tibi grates ago,

Fæcunda per te germinat, nostra orbitas,
Quæ læta septem liberos cælo dedit.
Hos parturiui casta per castas faces,
Et educaui pedibus affusos tuis.
Penè inter aras, inter æthereos choros.
Nunc laureatis Martyrum sertis nitent,
Et tuta feci iura regnantis Dei.
Quid restat? vt me filiis socies meis,
Vides vt ægra langueo, & totis amor
Spirat medullis, nec iam anima compos sui
Summis labellis hæret, tentans iter,
Si forte captet regna syderei poli.
Manes tenelli, Pleias ethereæ domus,
Quæ conglobata gemmulis septem micas,
Fratrum corona martyrum: ô tantum precor.
Tuere cælo matris illuuiem tuæ,
Et tandem ad astra me piis precibus voca.

Ianuarii anima ex nube.

IANV. O *Præstans animi genitrix, absiste precando,*
Magnum vicit iter pietas tua, funera septem
Natarum explicuit, cælo palmasque locauit.
Viuimus (ô mater) templo meliore recepti,

Non parui manes per te supera alta tenemus
Sydereis volucres flammis, ostroque decori.
Fortunata parens viuunt tua nomina terris;
Fortunata parens surgunt tua germina cœlo.
Tu curas solare graues, & tædia vitæ;
Nam te octaua manet septenis insita palma,
Cùm tu emensa situs & nigri carceris vmbras,
Mens sancta, & magnis non præcox addita diuis
Sanguine purpureum signabis ad æthera callem.
FEL. *O sol beate, quantus, & qualis micas!*
Vt impotenti gaudio pectus fluit.
In astra nati, in astra vos fœlix sequor
AVREL. *Quid pollicetur astra sibi vecors caput?*
Quid sibi futuram proximam mortem putat?
Sed mille mortes perferet, viuet tamen.
Onerate ferro luridos artus graui,
Pædore longo carceris consumite.

FINIS.

ERRATA.

PAg. 4. v. 3. scribe, Beatam pro beatum. pag. 13 Deorum. pro decorum. p. 21. Rosisque. pro Rosis quæ. pag. 26. v. 17. debiles. pro debilis. pag. 63. Patrem. pro partem. p. 68. nummis. pro numinis. p. 71. Pusio. pro pulsio. p. 84. Annorum. pro amorum. p. 96. afflato. pro afflatos.

THEODORICVS,
TRAGOEDIA.



ARGVMENTVM

Ex Procopio, Martiano, S. Gregorio.



Mpla hic Tragœdiæ facies: Extinguntur à Theodorico Rege duo clarissima Romani orbis lumina, Boëtius & Symmachus, quorum ille Philosophus optimus, Theologus disertissimus, Senator integerrimus. Hic vt ab ipso Boëtio dicitur *Pretiosissimum mundi decus*: & à Prisciano, *Omni naturæ munere præstans, omni virtutis luce fulgens.* Ambo vt ait Procopius de Bello Gothico lib. 4. Consulatus dignitate perfuncti, Philosophiæ supra cæteros & æquitati studuerũt, multisque tam ciuium quàm exterorum

inopiæ ſuccurrendo ſaluti fuere. Poſtquàm verò ad ingentem gloriam euaſere, deterrimos quoſque in ſui inuidiam concitarunt. Nam à delatoribus Theodoricus Rex perſuaſus perinde ac res nouantes occidit, eorúmque bona publicauit. Genus mortis ſecuri illatum : Nam & Boëtio cùm regius ſpiculator lethale vulnus intuliſſet vtraque manu diuulſum caput ſuſtinuit : Interrogatúſque à quonam ſe percuſſum exiſtimaret ? *ab Impijs* fertur reſpondiſſe. Hoc Ticini incolæ teſte Iulio Martiano à maioribus traditum conſtanter aſſeuerarunt. Sed tamen R. Pater *Iacobus Sirmondus* vir conſummatæ literaturæ, vetus manuſcriptum nobis indicauit vbi aliter mors Boëtij narratur his verbis. *Accepta corda in fronte diutiſſimè tortus, ita vt oculi eius creparent, ſic ſub tormenta ad vltimum cum fuſte occiditur.* Sit ſua M. S. fides : placuit tamen communi παραδόσει inſiſtere. Paucis poſt diebus, cœnanti Theodorico cùm miræ magnitudinis piſcis caput illatum eſſet

inter fercula, Symmachi recens interfe-
cti caput arbitratus, vehementer terre-
tur, & rigentibus præter modum artu-
bus defertur in lectulum, vbi grauibus
conscientiæ stimulis exulceratus, animam
exhausit. Vide Procop. lib. 4. de Bello
Gothico. Quod verò attinet ad animæ
iudicium, non est Tragœdiæ commen-
tum, sed narratio D. Gregorij Dialog. lib.
4. c. 30. quam Iulianus Romanæ Ecclesiæ
secundus Defensor accepit à soceri sui
Patre, qui id ipsum audiuerat ex solita-
rio miræ sanctitatis in insula Lipare tum
degente. Hic eodem tempore quo Theo-
doricus spiritum efflauit, eius obitum
adnauigantibus nautis significauit; addi-
ditque inter Ioannem Papam & Symma-
chum Patricium iudicatum, vinctisque
manibus deductum in Liparæam Vulca-
ni ollam quæ describitur apud Cassiodo-
rum lib. 3. epist. 48. Vide Baron. tom. 7.

Oeconomia Tragœdiæ.

ACTVS PRIMVS.

THEODORICVS Imperator Ioannem ſummum Pontificem diuturno carceris ſquallore confectum occiderat in vinculis: Cuius facinoris immanitate commota Nemeſis, ad tribunal Iuſtitiæ Diuinæ grauiter conqueritur. Hæc breui erupturam in ſceleſtum Parricidam diuinitùs vltionem pollicetur, poſtquam Boëtium & Symmachum quos habebat in cuſtodia, de medio ſuſtulerit, Theodoricus interim non ſecus ac infelix victima ad pompam ſui funeris ornatur, bella, & triumphos Orientis cum principibus cogitat, atque inter luxuriantis aulæ delicias, & magnifica ludorum fercula, delectatur.

ACTVS SECVNDVS.

CYPRIANVS, & Baſilius primæ nobilitatis aulici Boëtio & Symmacho perinfenſi, adulterinas literas comminiſcuntur,

quibus reos perduellionis insimulent. Regem cuius animum aliunde iam exulceratum facilè quæuis suspicio perstringebat, his artibus occupant. Nec mora, hic furore, & amentia præceps reos accersit, & cum eis expostulat, sed cùm graui constantique apologia vterentur, remittuntur in carcerem, vbi ab Elpide, & filijs perhumaniter inuisuntur, quos suo casu mœstos grauissimè consolantur.

ACTVS TERTIVS.

AMALASVNTHA Augusta cum Athalarico filio, de Boëtij, & Symmachi salute vehementer sollicita, Elpidem Boëtij coniugem cum liberis ad se adeuntem, summa beneuolentia excipit, & ad Imperatorem quem conuenire studebat præmunit viam: Hîc Elpis cum filijs Manlio, & Seuerino miserabili oratione pro Patris, & mariti vita Theodoricum deprecatur. Rex addito ad furorem dolo, reos se liberaturum promittit, si modo filios obsides accipiat: At illis magna alacritate concessis, Boëtium & Symmachum quamprimùm securi percuti iu-

bet, qui hanc vltimam vitæ ſcenam honeſtiſſimo exitu coronant.

ACTVS QVARTVS.

THEODORICVS *recenti adhuc innocentum cruore reſperſus conuiuium celebrat. In quo cùm piſcis caput eximiæ imprimis magnitudinis ferculo eſſet illatum, hic Symmachi demortui caput arbitratus, ardentibus Furiarum tædis exagitatur, & poſt varias cum Lemuribus pugnas defertur in lectulum, vbi fruſtrà medicorum deſudante induſtria, vmbrarum terriculamentis circumuentus, nec non à bono Genio derelictus inter furoris & dolorum faces infelicem ſpiritum egerit.*

ACTVS QVINTVS.

THEODORICO *mortuo cœperat pompa funebris inſtaurari, cùm cœleſti terrore immiſſo diſcutitur. Anima ad tremendum diuinæ Iuſtitiæ tribunal ſiſtitur, & inferorum cruciatibus addicitur.*

quibus reos perduellionis insimulent. Regem cuius animum aliunde iam exulceratum facilè quæuis suspicio perstringebat, his artibus occupant. Nec mora, hic furore, & amentia præceps reos accersit, & cum eis expostulat, sed cùm graui constantique apologia uterentur, remittuntur in carcerem, vbi ab Elpide, & filijs perhumaniter inuisuntur, quos suo casu mœstos grauissimè consolantur.

ACTVS TERTIVS.

A*MALASVNTHA Augusta cum Athalarico filio, de Boëtij, & Symmachi salute vehementer sollicita, Elpidem Boëtij coniugem cum liberis ad se adeuntem, summa beneuolentia excipit, & ad Imperatorem quem conuenire studebat præmunit viam: Hic Elpis cum filijs Manlio, & Seuerino miserabili oratione pro Patris, & mariti vita Theodoricum deprecatur. Rex addito ad furorem dolo, reos se liberaturum promittit, si modo filios obsides accipiat: At illis magna alacritate concessis, Boëtium & Symmachum quamprimùm securi percuti iu-*

bet, qui hanc vltimam vitæ scenam honestissimo exitu coronant.

ACTVS QVARTVS.

THEODORICVS *recenti adhuc innocentum cruore respersus conuiuium celebrat. In quo cùm piscis caput eximiæ imprimis magnitudinis ferculo esset illatum, hic Symmachi demortui caput arbitratus, ardentibus Furiarum tædis exagitatur, & post varias cum Lemuribus pugnas defertur in lectulum, vbi frustrà medicorum desudante industria, vmbrarum terriculamentis circumuentus, nec non à bono Genio derelictus inter furoris & dolorum faces infelicem spiritum egerit.*

ACTVS QVINTVS.

THEODORICO *mortuo cœperat pompa funebris instaurari, cùm cælesti terrore immisso discutitur. Anima ad tremendum diuinæ Iustitiæ tribunal sistitur, & inferorum cruciatibus addicitur.*

PERSONÆ.

NEMESIS.
IVSTITIA Diuina.
VMBRA Ioannis Pontificis.
BOETIVS.
SYMMACHVS.
RVSTICIANA vulgò Elpis, vxor (Boët.
MANLIVS I. Boët. filius.
SEVERINVS II. Boët. filius.
PVER honorarius Boët.
PVER honorarius Symm.
VMBRÆ Interfectorum.
ANGELI.
BONVS Genius Theodorici.
THEODORICVS Imperat.
AMALASVNTHA Augusta.
ATHALARICVS Theod. Nepos.
RICIMERVS Princeps I.
GESNERICVS Princeps II.
CYPRIANVS.
BASILIVS.
TRIBVNVS.



THEODORICVS.

ACTVS PRIMVS.

NEMESIS.



Vindictam flagitat in Theodoricum, Ioannis Pontificis vmbra producta, gladium vindicem à iustitia accipit.



QVI curuli flammeâ nubes secans,
Trepidos flagranti dextera quassas polos;
An tu beato gloriæ nixus thoro,
Miti coronâ syderum pictus comas,
Obliuioso flumine immersus iaces?
Vel certè in astris militum pingis globos;
Domos, & vrbes, hippocentauros, capras;

Dum res bonorum præpeti volucres rotâ
Per tesqua voluit turbo fortunæ rapax?
Actum est, triumphat aureo Impietas iugo,
Iniurioso cuncta procudeat pede,
Vanumq; ridet fulgur, è pelui micans.
Tam lentus ista concoquis diuum pater?
Pudet, pudet videre sacrilegum nefas!
Diuulsus aris Pontifex tetrâ manu,
Nigros cruenti carceris vidit specus:
Fracto catenas corpore enectus tulit,
Pœdore longo turpis, & questus moras
Luctantis animæ, millies sensit necem,
Dum mitis vnam barbarus mortem negat.
Cecidisse vidi proximum cœlo caput,
Sparsas verendo puluere, heu sancti comas,
Atq; infulati verticis celsum decus
Vecors tyrannus calcat, & credit Deum?
Exose cœlo, Gorgonum partu edite,
Quin mundus in te cardine infracto tonat,
Piceoq; vastum turbine illisus ruit.
O Rex verende, cuius ad nutum tremunt
Mundi columnæ, cuius ad vocem pauent
Densæ cohortes cælitum, & cæco minax
Terrore cœlum fulminum iactus vibrat;

Scelerosa ferro capita decutiens mete.
En vox cruoris vindicem appellat Deum,
En umbra magni lacera pontificis tuas
Errans ad aras queritur, & longum gemens
Inexpiatum barbari clamat scelus.
Exurge genitor, genitor exurge ad preces.

IVSTITIA DIVINA.
Nemesis.

ADsum citatis vecta per cœlum rotis
Magni satelles Numinis, sub me Dolor,
Et Pœna semper crine ferali rigens,
Exæstuantes pectoris voluunt minas.
Sub me fatiscit Tænari nigrum chaos,
Excitaq; adytis longa furiarum cohors
Terram insolenti proruit volitans pede.
Sub me catastæ, culei, flammæ, cruces,
Sub me cateruæ funerum, sub me furor,
Sæuoque rictu militat vecors fames,
Et quicquid ira cœlitum in sontes vomit.
Quid mœsta Nemesi quereris, & largo genas
Fletu tepentes irrigas? audit Deus
Causam innocentum: sanguinis voces Deus

Vindex recepit, aure non surda bibens.
Hic infularum prædo sacrilegus meis
Debetur aris victima, & nescit miser
Dum tot nocentes laureis vmbrat comas,
Nimbisq; nardi tingit incestum caput,
Quam bracteati fulgor hic regni fugax.
NEM. *Agnosco, miseros respicit cælo Deus,*
Dilecta superis virgo, terrarum pauor.
Si te querelæ lugubres Patrum mouent,
Tandem impiatum quâ potes dextrâ feri.
IVST. DI. *O macte, fiet, & tibi, & nobis satis.*
Supereffluentes cumulet hic scelerum modo
Rapidus aceruos, morte Pontificis madens,
Nunc consulares hostias addat focis,
Quas iam minaci carcere inclusas tenet.
Morientur vno funere, & socer, & gener,
Heu rara secli decora! Romani laris
Geminæ columnæ, plebis Ausoniæ patres.
Fatalis ambos hauriet Gothi mucro
Largo cruentos flumine, & mersos malis.
Incestuosis deerat hæc probris nota:
Illinc cerastis hirta Tisiphone comas,
Euerberatam barbari mentem coquens,
Miscebit atras pectore sub imo faces.

Et parca turpes pecudis excutiens colos,
Auara tristi fila præcidet manu.
Tu deinde cassum lucis, expertem sui
Miserum, cruentum, mortis allisum salo,
Vltrice rapies dexterâ ad nostrum forum.
En fulminantem cœlitùs gladium tuli,
Quo vindicandum belluæ audacis scelus.
NEM. *Habet, peractum est, pauo nunc sese rotet*
Gemmis coruscum, & imbre sarrano grauem.

THEODORICVS CVM PRINCIPIBVS

Arroganter se iactat, & nouas expeditiones in Orientem meditatur.

Perge anime, felix anime, quà Genius vocat,
Curruque velox gloria albenti rapit.
Frænare terras ludus est, tandem iuuat
Ad iuga coactos rapere per mundum duces,
Regum quadrigis scandere astrorum globos,
Calcare cœlum pedibus, atque inter sacros

Stellarum honores figere hac palmas manu.
Me terra dudum numen insolitum pauet.
Insaniendum maius, & dignum Deo.
Vt inquieti perpetem Solis rotam
Volutat ingens ardor, atq; æstus maris
Redeunte lapsu torquet æternus labor:
Sic stare nescit mentis ætheree vigor.
Terris subactis syderum inuadam globos,
Quà fulgor ille numinis condit faces.
Sunt digna cælo pectora, & digne manus
Astrorum habenis: ibo quà ferrum potens
Mentisq; magnæ stimulat incensus calor.
Meis sub armis cardines orbis tremunt
Et vda longè Tethyos trepidant vada.
Nunc illa Roma gentium victrix dea,
Qua maius orbe nil Iouis potuit manus,
Quæ mixta superis laureas figit patrum
Quâcumq; mundos porrigi cælum vetat,
Demissa colla genibus affundit meis,
Et laureatas puluere aspergens comas
Victorem adorat, quem prius spreuit parem.
Sensit rubentis dexteræ fulmen lupa,
Et me tonantem vidit in ferro Deus.
Culmen triumphi restat hoc vnum incluti.

Degener Eois regnat in terris latro,
Satus bubulco, patre deterior tamen.
Cidarim profanâ fronte deturpans tumet,
Emasculato mollium cinctus grege.
Hæc nauseantis cæca fortunæ pila,
Hoc carcinoma gentium, hæc fecli lues
Quam inhospitalis Caucasi fudit rigor,
Aut æstuantis expuit vomitus freti
Meos honores temnit: ô diuum fidem!
Quò me vlceratæ mentis eiectat dolor?
Per sceptra iuro demetam caput impium,
Non si quadrigas solis inscendat celer,
Aut par feratur turbine aërij noti
Meas sagittas fugiet, agnoscet scelus
Non esse curtas quas putat regum manus.
Moriatur, esto, sed mori decus est, decus
Ingens bubulco, maius inueniet furor.
Stiuæ alligatus seruiat, taurum induat
Tandem bubulcus, sic placet, sic impero.
PRIN. I. *Arma arma Eoæ sentiant igitur domus.*
PRIN. 2. *Arma arma ferri rutila spicetur seges.*
THEOD. *Miscere flammis iamdiu mūdū iuuat,*
Per flammam & arma carpere in cælum viam.

CHORVS.

Lubricum humanæ felicitatis faſtigium, tum mortalium carpitur ſtupor & cœcitas.

COEcum furore pectus inæſtuat
Flagrante voto, cum tacitis fluens
Caliginoſa nox latebris,
Spes hominum metit inquietas.
Vt picta ſummis victima floribus
In triſte ſacrum pergit, & inſcia
Per delicatos tibiarum.
Mortis adit nigra regna cantus.
Sic delibuto pectore gaudia
Pennis adacta mobilibus volant:
Dum ſetâ inhærentem fugaci
Mors gladium iugulo coruſcat.
,, Latè videntem nemo fugit Deum.
,, Namq; inuolutos oceanus premit
,, Piſces ſub vndis: ſubiacentes
,, Aſtra tegunt oculata terras.
,, Nos teſte cælo (credite) viuimus

Quod quisquis audet temnere, temnitur.
O quantâ adustus in Charybdi
Naufragijs animum supinat!
Hunc incitato verbere pertinax
Vrget fatigans Eumenidum manus.
Strident sonores, & cruentis
Terrificant simulacra tædis.
Pennæ insolentis remigio celer
Tentet coruscas syderibus domos;
Vel noctis atræ per recessus
Tartareis equitet quadrigis.
Crinitus hydris semper adest furor,
Et rubram Erinnys lampada concutit,
Dum mersa fibris in renatis
Cura feros populatur artus.



ACTVS SECVNDVS.

CYPRIANVS, BASILIVS. CALVMNIATORES,

De Boëtio, S. Symmacho interficiendis deliberant.

CY. *ABrumpe frenos corde luctanti dolor.*
Sat est, sat altos Manlij fastus tuli,
Expers honoris, nominis, vitæ, mei.
Iuuat furorem furere truculentum, asperum,
Sæuum, cruentum, dirum, inauditum prius.
Iuuat, iuuat, miscere funeribus domos,
Iuuat flagranti mergere incestos rogo,
Et consularem lauream, & fasces nigris
Adolere bustis, perge bacchari furor.
Cùm se remittet fractus irarum tumor,
Tempestuosis excitæ Eumenides vadis
Ardente pinu, squallidâ turpes iubâ,

Acheronte missò pectus inuadant meum;
Acremq; menti tigrium sensum imprimant;
Vt cruda laniem frusta scelerata dapis,
Artusq; tepidos dente furiali terram.
Quo me impotentis abripit moles freti?
Sic furere præstat, fallor, est lentus furor,
Lentumq; cordis flaccidi robur tepet.
Debuerat armis fremere iam mundus meis,
Ferriq; latè in iugula spicari seges.
BAS. *Quid lenta prosunt remedia & segnes doli?*
Tenentur ambo carceris clausi specu,
Sed contumaci spiritu rumpunt fores,
Aulamq; cœco turbine impulsam cient.
In nostra ludunt capita, derident minas,
Frangunt furores, & catenati imperant.
Quò emasculati pectoris cessit vigor?
Homuncionum propudia, laruæ meræ,
Ergastulorum tamdiu patimur iugum.
Perimantur ambo, carcerem incestant probris.
CYP. *Actum est, peribunt.*
BAS. *Arte quâ fieri potest?*
CYP. *Per scelera nunquam defuit sceleri gradus.*



Et facere didici crimina, & finxi puer.
BAS. *Sed obseratas melle rex aures habet.*
CYP. *Nihil hic Boeti næniæ poterunt, nihil*
Facundus imbre sermo nectareo fluens.
BAS. *O Cypriane exprome quid gestas noui?*
CYP. *Nil te laboris impiger consors mei,*
Celare oportet, vicimus tandem dolis.
Adulterinas litteras cudi faber
Boeti inustas annulo.
BAS. *Factum benè!*
Quid iste signat annulus?
CYP. *Quicquid volo.*
Minas, furores, arma, nocturnas faces.
BAS. *Habent abundè, perge nunc fausto alite:*
Sed ecce regem, cœpta fortunet Deus.

THEODORICVS, CYPRIANVS, BASILIVS.

Accusantur Boetius & Symmachus.

CYP. *O Ferreorum pectorum durus rigor!*
BAS. *O mansueti regis clusam fidem!*
THEO. *Quis vos adactis incitat stimulis furor?*

CYP. *Eheu furores hos vocas! dolor est, dolor,*
Qui nos perustis igne visceribus coquit.
TH. *O Cypriane, fare quid tandem noui?*
BAS. *Succurre princeps, vindica,*
TH. *Quid est noui?*
BAS. *Occidimus omnes ni tuus genius iuuet.*
CY. *Occidimus omnes.*
TH. *Fare, quid portas noui?*
CYP. *Vix dum resedit mentis emotæ pauor,*
Vix animus ipse credit incertus sibi.
Sileamne? Pietas sancta, tu cogis loqui
Dira, execranda, facinora, impia, horrida
Quæ refugus horret Phœbus auersâ face,
Hoc parricidæ perditi ausi sunt nefas,
Quô deflagratus corruat mundi decor,
Quô per cruentas vrbis euersæ faces
Iustinus albos victor alipedes agat.
Et te (quod atrox facinus auertat Deus)
Largo refossum vulnere, oppressum malis
Heu! laureati pedibus incursent equi.
TH. *Exprome tanti machinatores doli.*
CY. *En me tacente litteræ clamant scelus,*
TH. *O cruda facta! dira terrarum lues!*
Quis hoc Gelonus fecit, aut rigidus Scytha?

Nondum ſubacta ferre didicerunt iugum
Ceruice, nondum ſortis agnoſcunt vices.
Etiam in catenis purpuras fingunt ſibi,
Et præferoci ſpiritu ſceptra ambiunt.
Prodigia tanta ſtupeo penè expers mei.
Hoc execrandum conſules auſi nefas!
Sepulchra legum, patriæ ardentis faces.
Hoſtes deorum, generis humani lues.
Quo ſe ferocis ſpiritus rabies tulit?
Detrahere ſolio regis auguſtum decus.
Quid reſtat? ipſum vt ſede diripiant patrem.
Par eſt vtrumq; facinus, audebit Deum
Conuulnerare, quiſquis in regem hoc patrat.
Eſt expiandum facinus inuiſum polo,
Cui iam videtur leuior Ixionis rota,
Aut in perenne funerum viuax iecur.
Per aſtra iuro non erit inultum ſcelus,
Ite, euocate pondus inuiſum ſoli.

Boëtius canit in carcere ſuos verſus.

Fœlix qui potuit grauis
Terræ ſoluere vincula:
Fœlix qui potuit boni

Fontem visere lucidum.

TRIBVN. *Quis cantus aures implet effusus meas?*

Mirum in catenis exhibent ludos rei,
Adeò tremendam singulis temnunt necem.

BOE. *O stelliferi conditor orbis,*
Qui perpetuo nixus solio
Rapido cælum turbine versas,
Legemq; pati sydera cogis.
O iam miseras respice terras
Quisquis rerum fœdera nectis.
Operis tanti pars non vilis
Homines quatimur fortunæ salo.
Rapidos rector comprime fluctus,
Et quô cælum regis immensum
Firma stabiles fœdere terras.

THEODORICVS, BOETIVS, SYMMACHVS.

Caussam agunt apud Regem

TH. *SCelerosa capita, iuris exitium sacri,*
Regumq; pestes, ore sacrilego diem

Hausisse nondum puduit? ecquis vos furor,
Quæ dira rabies Ditis instinctu effero
Lymphata rapuit pectora in summum nefas?
Quo quo insolentis fræna lætitiæ ferox
Laxauit animus? hiccine in vinclis tumor?
SY. *Ambigua sensus verba perplexos tegunt,*
Nec vox per iras incita ad liquidum fluit.
Effare quicquid occulit frendens dolor.
TH. *O noctis aris debitum vecors caput!*
In capita regum ludis, & ludum putas.
BOE. *Quid perpetrauit carcer hic tantum mali?*
TH. *Scilicet, Eoo vendere imperium duci,*
Meme, meosq; funditus pessundare,
Cremare mundum, tu nihil censes mali.
Elumbe monstrum, sicne iuuenaris dolis?
BOE. *Mihi nempe canos exprobras donum Dei.*
Esto senectus tremula laxauit cutem,
Texitq; canis niuibus aspersum caput.
Sed intus ardet mentis ætheræ calor,
Pectusq; ahenis mœnibus septum riget.
Audi, illa fabor quæ decent Boetium,
Nam seruitutis pœnitet tandem meæ,
Et me reuisit missa libertas polo.

Postquam

Postquam per abruptum aureâ pernix rotâ
Te Fors ad arces inclytas mundi tulit,
Vtroq; lactans vbere, immersum bonis.
Emarcuisti totus, oblitus Dei,
Torrente rerum prospero ereptus tibi.
Toruus, seuerus, acer, indocilis, minax,
Cupiens timeri, semper incertus boni.
Hinc æstuantis pulsa vorticibus freti
Auara Erynnis pectus inuadens ferum,
Bonis cruentas omnium iniecit manus:
Quid aulicorum facta commemorem canum
Quos tu cruore innoxio pastos alis,
Hiante semper gutture, æternâ siti?
Quæ solitudo rura, quæ laruæ domos,
Quis mœror vrbes occupat sparsas solo
Dum nos saginam, dum meretricem (ô pudor!)
Funambulonis pascimus nostra fame?
Ego purpuratas simias, mundi cruces,
Laniare vidi viscera exesæ domus,
Inhiare fibris pauperum, & miserâ dape
Semesa corda pascere, exquilijs graues.
Fateor seuerus obstiti, non quòd malis
Possem mederi, aut impotenti dexterâ
Nostrum sonoris concitum furijs Tibrim

Frænare vellem. Sancta Libertas, *tibi.*
Vocem hanc reliqui consciam mentis bonæ.
Ex hoc catenæ degrauant canos meos,
Quod orphanorum tutor & vindex fui.
THE. *O execrandum iure cælitibus caput!*
Et hoc tueri pauperes etiam vocas?
Prodere bubulco patriam, & regem, & tuos.
Agnoscis istas litteras? fare impie?
BO. *O versipellem Simium! ô tragicas manus!*
Taces in istis magne dominator poli,
Quis Cypriani non videt apertum scelus?
Hanc ille cudit artifex scitus fabam.
TH. *Tuus ille vecors, annulus clamat nefas.*
BO. *Adulterauit annulum bonus histrio,*
Qui turpe didicit quodlibet facere & pati.
SY. *Audi Imperator.*
TH. *Loquere funestum caput.*
SY. *Dum ver niteret aureum, procul à lupo*
Bibebat agnus vitrei fontis gelu.
Sed ille crudis faucibus stringens minas,
Pauidum feroci dente corripuit pecus.
Moriêre, dixit. Quid mali feci? (innocens
Agnus reponit.) Tu mihi turbas aquam
(Ait ille) possum tam procul? clamat miser.

Sex lustra defluxere cum genitor tuus
Quos ebibebam gurgitis puri lacus
Obleuit, hic te fecit inimicum dies.
Parce innocenti, non eram natus, tamen
Morière: quare? Sic placet ventri meo.
Hoc Imperator efficis, dudum cruces
Has machinaris subdolè in nostrum caput.
Nec te probrosi carceris flexit labor,
Nec qui catenis ferreis cani rigent.
Tu deinde simplex per tuos curas canes
Adulterari litteras, quis non videt
Conficta monstra? scilicet laruæ meræ,
Emaceratæ carceris longo situ,
Tuas in vrbes apparant tela & faces?
Vbi arma, vbi sunt militum densi globi?
At nos Eoæ sustinet princeps plagæ:
Ecquando Eoos nouimus? dein spes suas
Ergastulorum credit hic manibus puer.
Necare quippe postulas, ferro vtere
Impune licuit hactenus, ferro vtere,
Tenebrionum quid opus est istis strophis?
TH. *Insane latras, sed tuum.*
BOE. *Perge obsecro.*
Magne Imperator, perge, nos idem Deus

Qui te tremendum fecit intrepidos facit.
TH. *Hæc est tuorum pompa verborum (loquax.)*
BOE. *Non verbulorum pompa, sed cordis mei.*
TH. *Sophus es Boeti, nouimus, Sophus es, sile,*
Alijs abunde doctus, at fatuus tibi.
BO. *Ego Imperator, sapio quæ sapere est viri.*
TH. *Hoc sapere vestri nuncupant, si per scelus*
Necent parentes.
BO. *Verba sunt.*
TH. *Faciam tamen.*
BO. *Facies opinor quod tyrannos addecet,*
Patiar ego quicquid senatorem decet.
TH. *Generosa dicta.*
SY. *Stat tamen dictis fides.*
TH. *Lubet experiri?*
SY. *Præsto sum, quando voles.*
Tu multa facere, plura sed possum pati.
TH. *Est exuendus purpuræ fulgens honos.*
BO. *Nunquam refulsi purpurâ, at probris tuis*
Hanc sordidatam purpuram illustrem dedi.
TH. *Ego te ab astris detraham, mergam inferis.*
BO. *Tu si colossum infoderis barathro, tamen*
Stabit colossus, quas locasti sub polo

Tot sericatas simias, sunt simiæ.
TH. *Hæc Manliorum sanguine elatus tumes.*
SY. *Non Manliorum sanguine, at virtutibus.*
TH. *Quas hæ catenæ nubilant.*
BO. *Corpus premunt,*
Mens in catenis altior regnat polo.
TH. *Adeo superbum te tuæ faciunt opes:*
Sed has referri regis ad fiscum volo.
BO. *Fac vt voles, nil auferes quod sit meum.*
TH. *Aliena quippe poßides.*
BO. *Sortis bona,*
Quæ tu ipse debes numini, nec sunt tua.
TH. *Quòd si amputauero caput non est tuum?*
,, BO. *Est vita; tenuis vita, muscarum bonum.*
,, *Quam musca sæpe rapuit, aut aliquid minus.*
,, *Quippe hoc tyranni factitant, vitam eripe,*
,, *Nunquam Boetium auferes Boetio.*
TH. *Quâ parte mundi latitat hic Boetius?*
,, BO. *Diuelle corpus, & scies, quando cupis,*
Stimulata virtus prodet hunc Boetium.
TH. *Indicta dicta. nam rota, & ferrum, & faces.*
SY. *Hæc purpurati supplicia metuunt tui.*
Nihil Boetium mouent, nil Symmachum.

TH. *Quis tibi timores expulit?*
SY. *Metus est Dei*
Cuius foro te crastinus sistet dies.
TH. *Tamen præibis.*
SY. *Iam præiuit Pontifex*
Cuius cruentâ cæde resperfus mades.
Dei ad tribunal umbra te sancti vocat.
Senile monstrum, quàm grauis tuus est stupor!
Tu taminasti sancta furiali manu,
Et desidere vindicem censes Deum?
Dei ad tribunal, ad tribunal te voco.
PR. I. *O contumacem spiritum, ô læuum nefas!*
Hæc in catenis languidi eructant senes.
Quid in triumphis faciet hic mentis rigor?
Ferro domandum vulnus, ô Rex ut vides.
PR. ij. *Malo mederi dum potes ferrum occupa:*
„ *Neglecta crescunt per suos gradus mala.*
TH. *Mandate tetro carceri hoc geminum nefas,*
Et comparate monstra supplicij noua.

ELPIDIA CVM FILIIS.
BOETIVS. SYMMACHVS

Inuiſuntur in carcere.

ELP. *ETiam ad catenas! proh Dei ſanctam fidem!*
Date vt catenas rore lacrymarum rigem,
Date vt labellis molliam ferrum meis.
Eheu ſeniles vinculis artus premi!
Meme decebat vinculis iſtis premi!
Mitis tyranne quàm tuus lentus furor!
O ſancte genitor! ô mei conſors thori,
Lugere iniquum eſt fateor, & cogor tamen.
Hoc veſtra virtus prohibet, at durus nimis
Qui vult habenis ſtringere vndantes aquas.
En tibi Boeti liberi tendunt manus,
Lecti iugalis pignora, & ſanguis tuus
Cui me relinquis coniugem? cui filios?
O flete dulces animulæ! flete ô patrem!
O flete dulces animulæ! flete ô auum.
BO. *Indigna loqueris vxor & patre & viro.*
EL. *Indigna digna mæror extremus facit.*

SY. *Frænum doloris vnicum patientia.*
EL. *Vnum rogabo genitor, ignosce huic meæ*
Humanitati: non capit frænos dolor.
Heu vbi verendum laureis centum caput?
Vbi decentis purpuræ flagrans honos?
Vbi laureatis fascibus ridens domus?
Isthæc manebant carceris nigri situs:
O fors iniqua, dura, ineluctabilis!
SY. *Quam malè querelis stulta fortunam gra-*
uas,
Quod ius querelis Elpidia? quando tua
Fortuna rapuit, repete quodcunq; est tuum.
Te credo matris vterus opulentam tulit,
Natura fudit gemmeo partu fluens,
Auriq; venas indidit venis tuis.
I, repete si quid matris è gremio trahis,
Si nihil eorum hinc obtigit cessa queri.
EL. *Sed quò beatos turbine instabilis premit*
Vita inquietis acta factorum rotis.
BO. *Opum atq; honorum, Promus & Condus*
Deus
Hic donat, adimit, reddit, vt cordi placet.
Elpidia numen rebus alternat rotam,
Infimaq; summis versat, & summa infimis.

Tu sceptra mundi detrahes mulier Deo?
Hic astra cursu flammea æterno rotat,
Nunc deprimit, nunc eleuat, promit, tegit.
Hic æthræ habenas temperat, luces modo
Fundit serenas ore purpureo flagrans,
Et modo coruscum surripit nimbis iubar,
Totosq; miscet murmure ingenti polos.
Hic stagna liquidi vasta Neptuni regit,
Et nunc sonoris cærulum quassat notis,
Et nunc beatos reddit halcyonum dies.
Quod iuris illud numen in mundum tenet
Hoc non licebit vnicâ in mulierculâ?
Tu sola habenas & Deo & mundo dabis?
SY. *Elpidia non his legibus nata es mihi,*
Vt fata nerent stamina ad iussus tuos,
Tuoq; nutu cederent rerum vices.
Tandem memento te esse de mortalibus
Vnam, pariq; sorte cum mortalibus.
Lex vniuersi nos iubet nasci & mori.
EL. *Egregia dicta genitor, at certe parum*
Prosunt dolenti.
BOE. *Credis in cælo Deum,*
Elpidia? credis motibus cæcis rapi
Omnia? nec esse cuncta vertentem manum?

O Sancta coniux magnus est cælo parens,
Qui te tuosq; diligit sanctâ fide.
„Omitte quæstus Elpidia, quas tu tibi
„ Fingis catenas, gloriæ hoc nostræ seges.
„ Hoc se monili nubilis virtus colit,
„ Dum prehensat altos patris ætherei thoros.
O chara lecti pignora !.ô lumen patris !
Vos fortè in vlnis vltimùm amplector meis.
Estote fortes, aderit è cælo Deus,
Qui vos relictos curet affectu patris,
Et orbitatis alliget vulnus manu.
O state pueri, patrias vobis opes,
Virtutem habete, figite in vestro gradum.
Nec vos supino tramite auersos ferat
Potentis aulæ fulgor, & magni lares.
Humana cuncta parua sunt & lubrica,
Ex his catenis discite.
FILIVS. I. *O Pater.*
FILIVS. *ij. O Pater.*
FIL. I. *Sic nos relinquis ! da, tuos tecum mori.*
Quæcunq; tandem fata te genitor manent
Hæc nos manebunt, fusa per easdem colos
Nunc vita currit, te senem Lachesis necat,

Nos flore primo demetet Iuno infera.
Vtriq; ad orcum accliuis ætati via.
FILIVS. ij. *Ibo, ibo nigræ mortis haud terret manus,*
Nec sæua rabies regis infidi mouet.
Est lucis intus anima contemptrix malæ,
Quæ bene superstes funeri viuat suo.
BO. *O lecta iuuenum pectora! ô mentis faces!*
Hæc vos Boeti filios virtus probat.
FIL. I. *Ecquid moraris? vinculis tantum est opus.*
O stringe membra carnifex, stringe obsecro,
Ecquid vereris? portio hæc restat Patris
Diuulsa trunco, redde naturæ suum.
SY. *Elpidia remoue liberos, satis est,*
BO. *Satis.*
EL. *Ad hunc beatum carcerem præstat mori.*
BO. *O macte coniux (viuimus) macte obsecro.*
In te recumbit pondus afflictæ domus.
Tu conde gremio fragmina eiectæ ratis.
Serua iugalis pignus hoc vnum thori,
Vnamq; curam diuide in totos lares.
Beata viue lux mea, & nostri memor,

Sat lacrymarum, flentibus vita effluit.
I, perge coniux, repete desertam domum.
Tuiq; pectus indue, & mentem patris.
FIL. *O sancte genitor!*
FIL. 2. *O Pater!*
SY. *Lumen meum.*
BOE. *Valete dulces liberi, coniux vale,*
Tu mox reuises carcerem Christo auspice.
EL. *Flectenda regis ira mellita prece,*
„ *Deo tonanti fulmen eripiunt preces.*

CHORVS.

Laus constantiæ.

Virtus mundities culta suis nitet,
Ac per terrifici nubila carceris
Pura luce renidens,
Vultus promit amabiles.
„ *Quid fortuna moues liuida? quid paras?*
„ *Tu quamuis Scythicâ caute reuinxeris,*
„ *Viuet libera, viuet*
„ *In vinclis similis sui.*
Montes impositis montibus aggera,

Et mundi obicibus ſuppoſitam preme.
Demens nil agis, iſtâ
Nam cœlum rapiet viâ.
Nunc torrente rapax inſolito fremens
Voluit ſanguineas Tyſiphone minas.
Sed conſtantia, ridet
Vinci neſcia, turbines.
,, *Hac fœcunda malis nobilibus viret,*
,, *Et ſemper rapidis tunſa bipennibus*
,, *Per tot funera viuax*
,, *Cœlo condit adoream.*
,, *Fœlix qui potuit dulcia temnere*
,, *Et ſe ſupplicijs excoluit ſuis.*
,, *Hic ſacraria mentis*
,, *Diuis proximus incolit.*



ACTVS TERTIVS.

AMALASVNTA THEODORICI FILIA

Spectris territa præsagit Patris calamitatem.

Constricta pigro membra torpescunt gelu.
Artusq; trepidos frigidus sudor lauat.
Heu monstra noctis horreo, & dirus pauor
Mentem supinam, versat, exagitat, rapit.
Semper recursat Symmachus, Boetius,
Oberrat oculis semper affusus meis.
Longum videntur flebiles vmbræ queri,
Patriq; sceptrum eripere violentâ manu.
Quam timeo ne quid insolens regis furor
In tanta peccet lumina, & vindex Deus
In nos rubenti fulmen intentet manu.
Verende regnorum arbiter, cuius furor
Capita potentum mortibus cæcis ferit,
Et laureatas principum quassat domos,

Conde ô minacis fulgur incensum manus,
Et somniorum discute insanos metus:
Vel si minaris si quid iratus tonas,
Habes sub ictu matris infœlix caput.
Huic parce nato qui mihi adolescit tener,
Animatq; solus mortui cineres patris.

ELPIDIA. AMALASVNTA. ATHALARICVS. FILII BOETII.

Supplices adeunt Augustam.

ELP. O *Magna regum filia, & regum parens.*
Aurora mundi, cuius ad primas faces
Mersum ruinis Roma funereis caput
Ad astra tollit, atq; rediuiuo aspicit
Oculo, serenum mitius libans diem.
Tu sola regem domina concilians regis,
Tu sola fulges rebus afflictis salus,
Sola æstuantis mitigas æstus maris,
Sola emicantes fulgurum extinguis minas,
Alasq; rubri fulminis mulces manu.
Per te beati coniugis manes rogo,

Et per tenelli flosculi spes & decus,
Qui nunc in ostro crescit ad regnum patris
Decore pulcher aureo, & vultu flagrans.
Miserere domina, cerne desertam domum
Heu fulminanti turbine allisam solo!
Porrige misellis dexteram sacra anchora
Nostræ salutis.

FIL.1. *O cœli genus! ô magne puer!*
Floscule diuûm, si tibi nondum
Prima iuuentus pingit in orbem
Malam aureolo flore rubentem.
Attamen ardet mascula virtus
Tam præstanti pectore clausa.
Et clementia teneram fingit
Pollice mentem: Tu sancte puer
Miserare reos, flecte parentem.

FIL.2. *Fuimus quondam, fuimus princeps,*
Non ingrata sorte beati.
Fuimus quondam tua turba (Puer)
Prætextato pectore culti.
Quoties viridi lusimus æuo,
Cum Cornipedem Marte citatum
Regeres fortis numine dextræ.
Quoties longos condere soles

Tecum vidit fortuna prior.
Vbi casta fides, & sanctus amor
Qui tam miti pectore creuit?
O magne puer miserare reos.
AM. *Elpidia testor astra voluentem Deum,*
Vt me cruentat pectori infixus dolor,
Et te tuosq; mentis amplector sinu.
Me quippe sexus, dignitas, ætas mouet,
Mouentq; nati paruuli, qui cum meo
Ætate fermè credo pubescunt pari.
Animæ innocentes, optimi soboles patris,
Cur ora fletus proluit? viuit parens,
Sperate, rebus perditis aderit salus.
Scio efferatum pectus indomiti patris,
Sed corda regum fingit arbitrio Deus.
Eluite curas, strenuam vobis opem
Hodie feremus: fortè suscipiet preces,
Frangetq; duri pectoris robur pater.
O nate, disce tendere afflictis manum,
Solare teneræ pubis attonitos metus.
ATH. *O iuncta mihi candida primis*
Pectora flammis, iterum collo
Pendete meo dulces animæ,
Pellite longos corde timores,

Pellite motus, pellite curas.
Veniet cœlo demissa dies,
Quæ contagia pectoris ægri
Longa fugabit.

AMAL. *Adire regem præstat, ego sternam viam.*

EL. *O qui disertum flumen eloquij creas,*
Regumq; mentes cereas flectis potens,
Linguæ fluentis sparge facundas opes,
Regij feroces pectoris mulce impetus,
Nostramq; dexter ritè fortuna viam.
Adeste nati, iacimus hîc summam aleam.

ELPIDIA CVM LIBERIS. THEODORICVS,

Supplicant Regi pro suorum vita.

O Quem superbi gentium reges timent,
Cœlumq; miti syderum aspectu beat.
Si fulminanti tela deponis manu,
Paterisq; ad aras flere miserorum preces:
Ego funeratum nocte tristifica caput
Attollo, supplex ad tui vultus iubar.

Illa illa quondam ſtirpe Regnantum edita,
Beatitatis gemmeo currens iugo,
Cui conſulatus penè creſcebant domi,
Nunc ſomnium, nunc vmbra, nunc planè nihil,
Viduata lauris, plena funeribus gemo,
Heu improborum fabula, & iocus & pila!
Vallant maritum carceris nigri ſpecus,
Et colla quondam fœta laureolis premunt
Turpes catenæ, coniugis comes eſt pater,
Cui vincla (proh dij) vincla canitiem terunt,
Artuſq; turpi degrauant canos ſitu.
Dein minaris funera, & tragicas neces.
Quò tendis ô Rex, iam ſatis flammis datum
Ardentis animi, totus in cineres furis.
O Rex quid vltrà inſequeris? heu laruas virûm
Simulacra mœſta, pallida informi ſitu.
Quò tendis iras, quò trucem gladium incutis?
Te fulminantem mundus agnouit ſatis,
Eſt quod vereri poſſit, aſt quod amet petit.
Frange ô rubentis igneas ferri minas,
Formoſiori frontis illuſtris face.
Allapſa genibus rurſus aduoluor tuis,

Oblita generis, & mei casus memor.
Amplector aram quam facit miseris salus
„ Sperata, res est sacra (si nescis) miser.
Serua maritum coniugi, natæ patrem,
Miserere viduæ, lenius quassam preme.
FIL. I. *O digne Deo! quem cuncta pauent,*
Quo nil maius videt in terris
Volucri raptus sydere Titan.
Princeps optime, maxime regum,
Miserere mei, miserere patris:
Exere tristi colla catena.
Non semper ferus ac igne rubens
Iuppiter ictas fulminat vrbes.
Tremuit quondam terra tonantem,
Nunc optat amans cernere mitem.
TH. *Quid me querelis mulier obtundis tuis?*
Ego te, maritum, liberos, fratrem, patrem
Hostes amaui simplici, & castâ fide.
Quos non honores obtuli? quos non dedi?
Quot consulatus, quot decora, quot laureas?
Me totum in vnam penè congessi domum:
At proditores, regis obliti, & sui
Scilicet Eoo ab orbe Laniones vocant,
Vt me trucident victimam Furijs sacram.

EL. *Heu credis istis?*
TH. *Litteris credo.*
EL. *Quibus?*
Quas sycophanta finxit in nostram necem.
Quò me doloris æstuans vortex rapit?
Plus impudicus ganeo, plus hybrida
Authoritatis quàm senatores habet.
O filij nostra proditur vita & salus.
FIL. II. *O Rex maxime, si nulla tuam*
Pietas flectit candida mentem,
Si stat fixum sumere pœnas:
En læta tuæ subdimus omnes
Colla securi, lania teneram
Ferro pubem, fige trementes
Puerorum artus cuspide dira.
Et auum serua, patrem serua,
Eripe tantis inuicte malis.
TH. *Quid postulatis?*
FIL. I. *Rex auum.*
FIL. II. *Mi Rex patrem.*
TH. *Soluentur ambo carcere hodierna die:*
Elpidia, at istos obsides tradi volo.
EL. *O lenitatem Regis! ô clementiam!*
Vultisne patris obsides tradi loco,

Nostrisq; dirimi laribus ô iuuenes pij?

FIL. I. *Iube pererrem, Caucasi æternas niues,*
Inhospitales solis infensi plagas,
Qua nulla pigro planta mulcetur Ioue,
Si seruo patrem, videar Elysium nemus
Incolere, patris est mihi numen salus!

FIL. II. *O chara genitrix, patris vt seruem caput,*
,, Dulce est perire, primus hic vitæ dies
,, Cum pro parente fortiter discam mori.

EL. *O digna cœlo pectora! ô sobolem piam!*
Mittite leti iam colla iugo
Iuuenes sancti, nobile germen.
Tumidos fasces pectore pone,
Magnique pedes regis vterque
Stratus adoret.
Si vos miseros fortuna facit,
Non degeneres facta loquuntur.

FIL. I. *O Mater!*

EL. *Eheu Filij!*

FIL. II. *O Mater vale!*

EL. *Valete dulces animulæ memores mei.*

THEODORICVS
TRIBVNVS

Decernit reis extrema.

Parcam sceleſtis? iuro per genium meum,
Morientur hodie buſta regnorum impia.
Sic liberare carcere, & vinclis iuuat.
Ego ſupinus ſorbeam tantum ſcelus?
Ego parricidas in meas peſtes alam?
Non ſi trecenti genibus affuſi duces
Pullâq; veſte ſupplices noſtri forent,
Aliquid remittam callidâ euictus prece.
Bene obſeratas quiſquis hic aures habet,
Angues in herbis ſupprimit blandum malum.
Si non dolori victimæ noſtro litant,
Addam parenti filios, ſponſam viro.
Deliberaui, conſilia dextram expetunt,
I, perge miles, perge, & amborum caput
Subijce ſecuri, iamdiu terram grauant.

Nostrisq́; dirimi laribus ô iuuenes pij?
FIL. I. *Iube pererrem, Caucasi æternas niues,*
Inhospitales solis infensi plagas,
Qua nulla pigro planta mulcetur Ioue,
Si seruo patrem, videar Elysium nemus
Incolere, patris est mihi numen salus!
FIL. II. *O chara genitrix, patris vt seruem caput,*
„ *Dulce est perire, primus hic vitæ dies*
„ *Cum pro parente fortiter discam mori.*
EL. *O digna cœlo pectora! ô sobolem piam!*
Mittite leti iam colla iugo
Iuuenes sancti, nobile germen.
Tumidos fasces pectore pone,
Magnique pedes regis vterque
Stratus adoret.
Si vos miseros fortuna facit,
Non degeneres facta loquuntur.
FIL. I. *O Mater!*
EL. *Eheu Filij!*
FIL. II. *O Mater vale!*
EL. *Valete dulces animulæ memores mei,*

THEODORICVS
TRIBVNVS

Decernit reis extrema.

PArcam ſceleſtis? iuro per genium meum,
Morientur hodie buſta regnorum impia.
Sic liberare carcere, & vinclis iuuat.
Ego ſupinus ſorbeam tantum ſcelus?
Ego parricidas in meas peſtes alam?
Non ſi trecenti genibus affuſi duces
Pullâq; veſte ſupplices noſtri forent,
Aliquid remittam callidâ euictus prece.
Bene obſeratas quiſquis hic aures habet,
Angues in herbis ſupprimit blandum malum.
Si non dolori victimæ noſtro litant,
Addam parenti filios, ſponſam viro.
Deliberaui, conſilia dextram expetunt,
I, perge miles, perge, & amborum caput
Subÿce ſecuri, iamdiu terram grauant.

TRIBVNVS. BOETIVS.
SYMMACHVS,

Cum Pueris honorarijs.

MORS BOETII.

SÆuæ minister sortis, & duræ nimis
Necessitatis nuncius veni, sacra
Me regis vrgent iussa, nec contrà licet
Niti, rapaces sequimur vndarum impetus.
Et quâ voluntas principis pendet, citi
Huc rapimur omnes, mitior vellem foret.
Sed obsequendum, quando sic leges iubent.
Extrema vobis calculo sanxit suo,
Ambosq; (durum est dicere) addixit neci.
BOE. *Lex vniuersi hæc fata præscripsit mihi,*
Regi, tibiq; tu nihil defers noui.
Symmache repente venit optatus dies,
Qui nos solutos carcere, & vinclis leuet.
O lux beatâ, gemmeâ currens notâ,
Exuberanti gaudio pectus natat,
Animusq; riuis cælitum irriguus fluit.

SY. *Ergo præibis nobili palmâ inclytus,*
Primusq; metam præpeti stringes rota.
Non indecorus puluere; i, sequere impetum.
Mox consequetur te tibi charus socer,
O sanctitatis lumen æternum vale,
Complexum in astris liberum iungam ocyus.
Bo. *Mors vnà iunget, quos amor iunxit sibi.*
Vnum sepulchrum conscios artus teget,
Vnáq; cœlum spiritus repetet via.
Vale meorum prima curarum socer,
Vale beate carcer, & vincla, & situs,
Valete sancti carceris charæ fores:
Discedo liber; victor, & similis mei.
Hoc est theatrum debitum Boëtio,
Hic restat actus vltimi scena vltima.
Vos hic beati cœlites, testes volo,
Quicunq; purum spargitis radijs locum.
Te Roma, quondam Roma, nunc mundi pila,
Apello, cineres testor ô mater tuos.
Ego parricida non morior, aut proditor,
Aut impiatus sordibus mentis malæ.
Sed orphanorum tutor; atq; inopum pater,
Cultusq; auiti pariter, & iuris tenax,
Gladio tyranni perimor in causa Dei.

Iuuat, iuuat, vel millies sic emori,
Desideratum lucis optatæ iubar!
O ter beatæ mortis haud sterilis quies!
Veni meorum palma canorum, veni.
Gestit resolui corporis nexu celer
Animus, & alti scandere ad culmen poli.
PVER HO. *Eheu tepentes proluunt lacrymæ genas,*
Et rara densi verba singultus premunt.
Discedis ergo curiæ sanctum decus,
Discedis ergo victima immitis feræ.
Nec fida coniux audiet summum vale,
Nec condet oculos luridæ immersos neci.
Nec filiorum sydus hoc geminum, patris
Vultus videbit amplius. Dura orbitas!
Sic ergo abibis insalutato lare?
Quid nunciabo coniugi? quid liberis?
BO. *Hoc me solutum corpore, vt Boetium*
Decebat, illi gratulentur hinc neci,
Nec inquietent lacrymis cineres meos.
Terrarum cœliq; parens, qui fœdere certo
Euoluis puris crystalla micantia flammis,
Et per tot gyros, tot flexos orbibus orbes
Res hominum extricas, vitam cœlestibus insons

Impendo, doctus pro religione pacisci,
Sanctaq; legiferæ Themidis defendere iura.
Hoc prisci dudum Heroes docuere gerendo,
Qua natura pauet cæli stat sanguine porta.

Puer Honorar.

Res agitur intus dira, magnanimus senex
Pendet sub ictu, feruet, & letho obuius
Mortem lacessit, increpans ferri moras.
O dura dura lumina! hac scenâ frui
Etiam potestis? spectat atq; odit scelus
Quod ipsa spectat sæua Gotthorum phalanx.
Tristis Quirinus ora defixus stupet,
Et ingemiscit lacrymis implens sinus,
Nec seruitutis vincla singultus premunt.
Portenta video cælites plena, integra,
Insolita, inuisa, clara, magnifica, inclyta.
En amputatum manibus attollit caput,
Recisa ceruix viuit & ridet necem,
Sanguisq; fusus conscium aspergit diem.
BO. *O Christe mortis domitor, & vitæ pater,*
Tuas ad aras defero cæsum caput.
Per te cruoris deprecor riuos mei,
Miserere nostri, victimamq; istam cape,
Quam nos honori reddimus sacram tuo.

PVER HO. *Vixi quid vltrà pondus ingratum solo*
Lachesis seueram stamine extendo colum?
Sat est malorum, cælitum testor patrem,
Non me Boeti magna iam cernet domus,
Non ego sinistros nuncios mortis feram.
Inuisa lucis tædia abrumpam celer,
Domini cruento propius ingestus rogo.

SYMMACHVS TRIBVNVS.
CALISTVS AMANVENSIS SYMMACHI.

Mors Symmachi.

B*Ene est, eamus; occidit Boetius.*
TRIB. *Vides ad aram corpore reuulsum caput.*
SY. *Actum est, præisti, porrige sequenti manum.*
O sancta membra, membra venerandi senis.
O tempora! ô cani! ô manus! ô lumina!
Mens magna! magnis additum diuis decus.
Tuere cælo carceris comitem tui,
Et tecum ad astra præpeti cursu voca.
Ades beata, cincta cælituum choro,

Ades coruscis vecta per cælum rotis,
Tuumq; spectas Symmachum, ad metam incita,
Adsum, tuosq; lætus amplexus peto.
Quid contremiscis lictor? age quod est tuum.
Times senectæ? corpus hoc cani grauant.
Tamen paratum pectus ad mortem viret.
Me plura vitæ lustra fecerunt senem,
Perq; tot auorum purpuras currens honos
Suis refulsit opibus, & verè suis.
Testor beatos terra quos condit sinu
Cineres meorum, vixi ego similis patrum,
Nec vlla vitæ macula deturpat genus.
Nunc innocentem spiritum ad purum locum
Defero, nec ensem colla lictoris pauent.
Non pœnitet vixisse, nec durum est mori.
Sed plango Romam. Plango virtutis larem,
Heu per tot annos Gotthicâ oppressum manu!
Te plango Romæ domitor heu! quod te miser
Non plangis, alto flumine immersus iaces,
Ornasq; sertis funeris pompas tui.
Ignosce regi, cuncta qui nutu regis,
Da Christe famulo robur ad pœnas nouum.
PVER. *Hæccine dicam spectare Deum*

SY. *Cecidêre duo lumina mundi,*
Fax Ausonij prima senatus;
Vltima gentis nostræ decora,
Inopum patres, plebis asylum.
Vidit cælum, gemuitq; videns,
Et sol refugos condidit ignes.
At barbaries calcauit ouans
Debita patrio corpora cælo.
Hic te appello virgo Nemesi!
Ibit inultum tantum facinus,
Hoc nullo luet Impius æuo.

CHORVS.

Dei timenda iudicia.

IT laurigeris vectâ quadrigis,
Atq; innocuo sanguine tinctam
Palmam impietas effera iactat.
Cecidêre duo lumina regni,
Immersa suo sanguine liuent.
Et barbaries ebriâ cæde,
Ardente mero proluit ora.
Luget sparsis Roma capillis,

Et ferali tempora taxo
Cingit, laceris contusa genis,
Dum res hominum sæuo versat
Alea ludo. Dicite stellæ,
Vigiles oculi numinis, vnde
Tam sæua pios funera vexant?
Veniet veniet rapido velox
Turbine Nemesis, veniet; veniet.
Si sera venit, quàm sæua venit!
Vt fulmineo decutit ictu
Pastas nimiâ glande columbas.
Ludite pisces, ludite cæci
Per blanda leuis Tethidos regna,
Ore voraci carpite prædas;
Dum luxuries mitis inescat,
Hamus nescia guttura nectit.



ACTVS QVARTVS

THEODORICVS.

Elpidiæ capita, Boëtij & Symmachi obijcit ſupplicanti.

SIC *eſt tonandum, perfidi reges iacent,*
Iacent ſecuri ſaucij, tabo obliti,
Et contumacis ſpiritus iuuenans calor
Abijt in auras, ſic Deum vlciſci iuuat.
Iam me timebunt Troades, ſi non amant.
Hæc ſæua maneant fata furioſas manus,
Quæcumq; ſceptra vellicant magni Iouis.
Qui fulminanti ſtultus occurrit Deo,
Sic deflagratis concidat pennis ruens
Dirum bidental, poſteri ſecli pauor.
EL. *O qui reorum ſubleuas mœſtas cruces,*
Sacramq; miſeris porrigis ſoſpes manum,
Iubeſne tandem carcere educi reos?
TH. *Iam liberaui.*

EL. *Regis*

EL. *Regis ô clementiam!*
Vbi eſt maritus, vbi ſacer meritis parens?
Satiare pietas, affatim complexibus.
TH. *Satiare; quando ſic lubet, per me licet.*
Agnoſcis iſta capita?
ELP. *Heu! heu! heu! heu!*
CH. *Eheu pudendum Tartaro & Furijs ſcelus!*
Quem ſe tyranni fregit ad ſcopulum furor!
Elpidia linquitur animo, concurrite,
Refouete gelido rore collapſam ocyus.
Elpidia macte, ſuſcita ſenſus tuos.
EL. *Poſtrema ditis vomica, ſceleroſum caput.*
Vah ſtruma regum, crudiuore mundi Cyclops.
Semeſa quem, inter oſſa tumulorum ſatum
Rapax hyæna ventre furiali tulit:
Cui vagienti fæce tabifica ebriam
Mammam dederunt ore laruali ſtriges.
Lanio, Procuſtes, dire Maſſagetûm popa.
Sic liberaſti carcere, & vinclis reos?
O ſancta capita; capita ſanctorum ſenum,
O capita mundi decora! carnificum pauor!
Hiccine maritus? hiccine eſt genitor meus?
Neſcio, cruoris vnda confundit: date
Date quæſo lymphis abluam! agnoſco nimis.

Confunde rurſus ſanguis, vt titubet leuis
Incertus in quos impetum laxet dolor.
O genitor! ô marite! diuerſam rapis
Et huc & illuc anime, quem ponis modum?
Ad quem recurram? quem prius libem oſculis?
Ambo, ſtat amba capita complecti ſimul.
Viro & parenti tumulus hic vnus ſatis,
Viri & parentis tumulus hic fiet ſinus.
Dilecte coniux! ſancte genitor! ô comæ!
O labra mellea! ô caput, frons, lumina!
Sic vos reuiſo. Miſera, quid primum querar?
Quod viuo, quod poſt tot neces reſtat queri?
Vbinam vbi reliqua membra quæ gremio legam?
Tot lacera membris diſtrahor! ſupero tamen
Fœcunda pœnis: cœlitus vos aduoco
Animæ innocentes, parcite dolori meo.
Vos flere iniquum, ſed rogo veniam date.
Non flere, durum eſt: neſcit hic frænum dolor!
TH. *Egredere peſtis, egredere regni lues,*
Quid his querelis regna funeſtas mea?
EL. *Redde ergo matri liberos, nunquid ſatis*
Tibi litatum eſt ſanguine & patris & viri?
TH. *Addam parenti liberos, non eſt ſatis.*

EL. *O macerate cædibus paries prius*
Te fulminabit ignea tonantis manus.
Heu cernis ista magne regnator poli.
Vos hic tacetis Cœlites?
TH. *Tandem mihi,*
Non exigetis fœminam impuram domo?
ELP. *Eximus, at vos oppriment fata aspera.*
Nostros labores respicit vindex Deus.

THEODORICVS, AMALASVNTA, ATHALARICVS

Rex conuiuium celebrat.

NVnc tota festis laribus operetur domus,
Nunc aula vernet flore purpureo nitens,
Excipere proceres luce geniali volo.
Gemma decori candida soles micant,
Beatitates aureæ cœlo pluunt,
Secura regna, summa votorum obtigit,
Funesta postquam messuit monstra hæc manus.
O nata solus absque riuali impero,
Terris timendus, charus at superum choris.
Instruite longas patrio luxu dapes,
Calices Falernis ardeant, vino natet



Odora meßis, fulgeant lychni rosis,
Facium corona victus abscedat dies.
Opima tandem sacra lætitiæ paro,
Procul labores, nebula mæstitiæ procul,
Meliore cœlo Phosphorus dexter nitet.
Genio litamus, ille visurus suos
Veniat honores crine subrutilo flagrans.
AMA. *Heu cassa lucis pectora, & dirum nefas!*
Quam timeo regi vindicem cœli manum.
TH. *Exporge vultum gnata? quis vanus dolor?*
Istam genarum purpuram extinguit? date
Lymphas, catinos ferte famulorum greges.

ELPIDIA AMICTA SACCO.
THEODORICVS. AMALASVNTA.

Elpidiæ viduæ lachrymæ.
Theodorici furor.

D*Vcite longos lumina fletus,*
Imbres fundite, fundite riuos.
O suspiria rumpite pectus,
Hæc solatia lenta dolorum.
Audiat æther, cœlique parens

Matris miseræ flebile carmen.
Audiat æther, & funestis
Idem planctibus assonet æther.
Vtinam fierem mœsta volucris,
Canerem syluis, canerem saxis,
Cecidit coniux, cecidit genitor.
Cecidit mundi nobile lumen.
Plangite Syluæ! plangite rupes.
Gemerent syluæ, gemerent rupes,
Mecum querula voce sonarent,
Cecidit mundi nobile lumen.
Vtinam fierem Caspius humor,
Loquerer mœstis manans lacrymis,
Miscens socias tigribus vndas,
Tigribus orbis orba profarer:
Flete ô tigres periere mei in
Vitæ limine dulces nati.
Heu quondam mea viscera nati!
Flete ô tigres, sociæ flete!
Fleret mecum virgata tigris
Lacrymasq; meæ misceret aquæ,
Fleret si quid durius altis
Obruit vndis Caspia Thetys.
TH. *Empusa rursus tetra funestat dapes,*

Eijcite pueri, arcete pestiferum scelus.
AM. *Miserere genitor, liberos repetit suos.*
O redde genitor, redde, quid miseram enecas?
TH. *Eliminate fœminam veneficam.*
EL. *Eliminari me iubes? monstrum impium.*
Dum tu aulicorum perdito septus grege,
Congesta mundi viscera in ventrem voras.
Eliminari me iubes? orbam viro,
Viro, parente, liberis, mersam malis.
Eliminari me iubes? testor Dei
Magnum tribunal, vindices oculos voco
Intaminati iudicis, tantum scelus
Non erit inultum.
SAT. *Perge detestabilis,*
Nam mœsta fœdant ora saliarem diem.

THEODORIC. AMALASVNTA.

TH. M*Isce Falernum Virgili & gnatæ & mihi.*
Quis hoc cruentum ferculo inseruit caput?
AM. *Quid fluctuaris genitor? est rhombi caput.*
TH. *Erras, cruentum Symmachi cerno caput.*
Vt in me auaris faucibus frendens hiat?
Auferte monstrum milites.
AMA. *Piscem vides*

Quem tua tulerunt nuper um viuaria.
TH. *Insana pisces non habent hominis caput.*
Ad arma, ad arma quippe me produnt mei,
At non inultum, funeri, saltem improbo,
Sanguine parentem? perge bacchari furor.
Væsane, vecors, degener, crude, impie,
Congredere mecum, congredere, campus patet,
Paratus hostis, persequor, teneo, impeto.
Ter si resurgens colla repararis feræ,
Ter ter recisus robore indomito cades.
Et vnde fidus mucro deseruit latus?
Date arma tantum milites, arma ocyus,
Sic regem inermem proditis? non hic manum
Vestram infidelem postulo, ferrum peto,
Ferrum, quis horror perfidè auersos rapit?
Egóne lectus in iocum, & prædam, & necem?
Ite, auolate ad Tanain extremum impÿs
Deuota diris capita, de vestrâ fugâ
Ducam triumphos, teste sic cælo iuuat
Punire sontes, solus in Martem ruo.
AMA. *Quæ furia tristi missa Cocyto ruit,*
Regisq; mentem sede dimouit sua?
Adibo patrem nata? sed vereor minas,
Toruiq; vultus igneas timeo faces.

TH. *Ecce ecce catulis cincta furialis lupa*
Sæuum minatur sanguinis flagrans siti.
Date mi sagittas, triste portentum ruam,
Moriêre monstrum dexterâ stratum meâ.
Per densa nemorum, perque inaccessos specus,
Per vim sonoram fluminum, perge, incita
Gradus fugaces, si potes, pennas cape,
Libra te in astra, præpes hærentem fugam
Hæc anteuertet dextra, non ictus rudes
In monstra meditor, Hercules nobis pater.
AM. *Dehisce terra, terra me gremio excipe,*
Aufer paternis manibus infandum scelus.
Prohibete Superi (si quid est cælo pium)
Prohibete Superi, ne quid intentet furor.
TH. *Feriã, peribunt, insequar, vana est fuga,*
Heu rursus in me Symmachus dirum furit,
Magnumq; tetri gutturis hiatum explicat.
Quò me resorbet æstus Euripi vorax?
Date mî quadrigas culmen inscendam poli,
Illinc flagranti cinctus astrorum choro
Vnda sacrati sulphuris terram obruam.
Furiale monstrum tu mihi vitam eripis,
Ignosce quæso Symmache, heu heu Symmache,
Ignosce quæso, supplices tendo manus.

Vel me repentè gutture trifauci vora.

AMALASVNTA. PRINCIPES. THEODORICVS

Infertur lecto.

AM. R*Abida phrenesis pectus indomitum quatit.*
O lecta corda principum succurrite.
PR. *Heu quæ Megæra rupta phlegetontis lacu*
Huic viperinas pectori afflauit faces?
Toruas seueræ frontis intentat minas,
Densam cruentis faucibus spumam egerit,
Totus furorem perfurit diris sacer.
Ecquis furenti dexter opponat manum?
Ego ego adibo, principis ferrum induam,
Iuuat perire, si perit, dulce est mori.
Miserande princeps siccine incassum furis?
Simulacra fingens infera, & pestes nouas.
En fida stipat turba bellantum latus.
Agnosce proceres, genibus aduoluor tuis
Dominumq; pronus veneror. TH. *O monstrum horridum!*

Symmache quid istis dentibus meme teris?
Confice perosum lumen ingratum poli.
Heu! heu! heu! heu!
AM. *Fulcite corpus regio impositum thoro,*
Agnosce natam, genitor ego tua sum, tua
Amalasunta, respice in fletus meos,
Respice tenellum qui tibi tendit manus.
Tuoq; parce sanguini.
TH. *Quid me enecas?*
O nata, si me diligis, per te rogo
Euisceratum corpus inuicti patris.
Iube refosso pectore enectum mori,
Ego cruentis faucibus monstri hæreo,
Secante fractus dente, discerptus, lacer,
Et tot dolorum vortice auxifero gemens.
O nata rumpe tædia & nexus graues,
Hærentis animæ, quò meam tendis necem?
AMA. *Sinite quiescat, solus illapsus sopor*
Attemperabit cordis indomitas faces.

VMBRÆ INTERFECTORVM QVÆ LECTVM CIRCVMEVNT.

Genius Bonus. Theodoricus.

VM.I. *Vidimus olim, vidimus albi*
Lumina solis, cum purpureo
Nitidas luces funderet ore:
At nunc tegimur nocte profundâ.
VM.II. *Non ita prati sorbet honores*
Feruidus acri Titan radio:
Vt nos ruptis messuit annis
Bacchans Atropos falce cruentâ.
VM.III. *Non tam rapido concita currunt*
Flumina lapsu, quàm vita fugax
Celeri glomerat sua pensa manu,
Truditque diem protrusa dies.
VM.I. *At lenta nimis stamina Parcæ*
Gladio regis visa fuerunt.
Hic nos medio raptos cursu
Condidit auidis manibus Orci.
VM.III. *Debite flammis homicida veni;*
Anima Superos sonte fatigas.

Et te dudum Furiæ expectant,
Debite flammis homicida veni.
BO.GENI. *Ego ille custos Angelus regis feri,*
Duodena lustra fidus huic hæsi comes,
Nostroque fictus pollice excreuit tener
Ad regna mundi. Prima cùm pectus viri
Bellona thyrso quateret, & sæuum fremens
Armis tonaret vltimus mundi stupor.
Ego præibam flammeo curru vehens,
Ego demetebam capita bellantum, ocyor
Alis trisulci fulminis, perque æthera
Leuis ferebam nobilem palmis virum.
Sic sempiterni fata voluebant Dei.
Princeps beate, quis tibi innubis dies
Non luxit auro purius sub me duce?
Cùm temperarem lubricæ ætatis vices,
Mollique penso ducerem fati moras.
At nunc prophanâ mente calcasti Deum,
Et me expuisti corde furiali tumens.
Hæc sunt laborum præmia, & amoris mei.
Exinde quæ te lancinant furiæ vides,
Iaces cruentus turpis, exosus tibi,
Dolore vinctus morbi ineluctabilis,
Et iam propinquat sæua Parcarum manus,

Cinctusque diris lectus & flagrans rogis.
Testor beatos Cælites, comites meos,
Testor verendi numen æternum Patris.
Tentata per me cuncta, quò tete ô miser
Heu dulce quondam pignus, efferrem polo.
Nunc te relinquo debitum flammis caput,
Nunc te relinquo, fata sic patris iubent.
Vale ô amoris triste depositum mei!
Vale ô fidelis comitis infidus comes!
Vale ô dolorum longa nostrorum seges!
Ad templa cæli remeo; tu execrabilis
Ad nigra perge regna sulphureæ plagæ,
Eheu fidelis comitis infidus comes!
TH. *Adeste, adeste, nigra Furiarum phalanx,*
Tumultuoso claustra Plutonis pede
Proruite, rapite, rumpite inuisas domos.
Adeste turpes, tetræ, luridæ, impiæ
Pinu cruenta, crine ferali obsitæ,
Glomerate noctis densa fumiferâ face,
Et sulphuratis obruite mundum globis.
Iam me relinquit Genius, & circa thorum
Effusa volitat tristis Vmbrarum cohors.
Quò quo trementes Parca protendis colos?
Exscinde, rumpe, perde quid terras grauo?

Nunc nunc in astra spiritum inimicum expuam,
Et astra mecum concidant, terram & polum
Mecum sub atrâ nocte demergat chaos!

NEMESIS, ATROPOS, THEODORICVS MORITVR.

T*Andem illa Nemesis laneo repens pede,*
Vltrice dextrâ sontium plecto dolos.
Tandem Tonantis fornice aurato ruens
Emissa veni sanguinis vindex pij.
Hunc execrandum fata deposcunt senem,
Dei ad tribunal flebiles Vmbræ vocant.
Et tu moraris Atropos? quid fluctuas?
Incestuosæ pecudis euacua colos,
Tu credo metuis militum astantes globos?
AT. *Nec sceptra metuo Nemesi, nec satellites:*
Scis ipsa, quid mihi timores exprobras?
Regum in coronis hæc manus ludos facit,
Sternitque iuuenes ære florentes truci,
Expecto tantum iussa supremi patris.
NE. *Perge, ergo perge, nam tibi mandat Deus.*
AT. *Emorere tandem, emorere funestum caput.*
TH. *Eheu! heu! heu!*

NEM. *Habet, peractum est, sume tu prædam, Dei*
Ego ad tribunal execratam animam fero.

AMALASVNTA, ATHALARICVS,

Principes mortuum lugent.

AM. *BEne est, quiescit exsoporatus dolor,*
Leniquè membra rore somnus perluit.
Sed vnde nullos halitus spirat sopor?
Hei mihi rigescit corpus infesto gelu.
Actum est, in auras cessit effusus calor.
O genitor! ô Rex genitor.
AT. *O Rex! ô Pater.*
AM. *Actum est, sopore ferreo vinctus iacet.*
Crepate magni templa labefacta ætheris,
Immerge Titan triste anhelantes equos.
Tu qui nitentis fræna moderaris poli.
Offunde nebulas, prælia Aquilonum vndiq;
Committe, cæcis nubibus sepeli diem.
Quid parcis astris ô Pater! Cæsar perit.
Mundum ruentem Cæsaris casus trahat,

Heu tam repentè concidit Romæ caput,
Lectumq; pictis funebrem iunxit thoris.
Hic est triumphis nempe decretus dies!
Quid capitis ornamenta? quid gemmas graues
Gesto? decebant ista dum vixit pater.
Augusta tepidis atria lacrymis natent,
Assueta choræis tecta lamentis sonent.
Efferte lecto corpus inuicti patris,
Efferte, manibus sepeliam patrem meis
Sæpe efferendum, quandiu viues dolor.

CHORVS

Suppliciorum æternam seueritatem impijs minatur.

Contemptrix Superum mens hominum minas
Iactat syderibus, fluminis ebria
Pigri vorticibus, numina despicit,
Dum noctis Famulæ pensa trahunt necis.
Quid gemmis properas vina capacibus,
Et nubem Assyrijs frangis odoribus?
Improuisa ruit cædibus Atropos.

Et

Et mensam aërio turbine concutit.
Hinc castra Eumenidum sanguineis fremunt
Tædis, & lacerum pectus agit furor.
Instat iustitiæ lance potens Deus,
Et mortale scelus numine discutit.
Eheu terribilis vestibulum fori!
Heu diræ facies, astra cruoribus
Respersa in miseros funereis pluunt,
Et ferrugineâ sol rapitur rotâ.
Heu manes piceo flumine torridos!
Heu dira anguigenum dira cubilia!
Heu flammis tumulos perpetuis graues!
Vt culpæ Nemesis terga premit ferox,
Et repit tacito subsiliens gradu.
„ Magnæ sero molunt cælituum molæ,
„ Sed frangunt penitus cornua sontibus.

ACTVS QVINTVS.

CHORVS ANGELORVM CVM TVBIS

Quorum vnus clamat.

IN dicta terris funera, indico polo.
Audite summi templa tremefacta ætheris,
Audite vocem syderum vigiles chori,
Quicunque miti cingitis pompâ Deum.
Audite mentes, ætheris magni incolæ,
Quæcunque purum incenditis flammis locum.
Audite solis aurei geminæ domus,
Audi, intremisce terra ad obtutus meos.
Audite voces vltimæ mundi plagæ,
Audite mixti Regibus parui lares,
Quicunque colitis sub polo viuas domos.
Audite cineres Principum, quotquot suis
Tellus sepultos fœta visceribus capit.
Ego flagranti turbine emissus polo,

Magnum ad tribunal euoco regem impium,
Qui tot piorum sanguine effuso madens,
Fœdauit alta templa sydereæ plagæ.
Adeste quotquot necuit inceſtâ fame,
Adeste quotquot barbarus gladio tulit.
Ades Ioannes & Boeti & Symmache,
Adeste, diuum sic iubet vindex Pater.

IOANNES PONTIFEX.
BOETIVS, SYMMACHVS.

Prodeunt ad iudicium.

Io. *QVò me Christe rapis tui*
Plenum? quis decor aurei
Affulget mihi luminis?
Quæ quæ flamma medullitus
Me depascitur intimum?
O flamma! ô amor! ô Deus!
Queis me mergis amoribus?
Ohe parce precor, precor:
Est mens plena Deo, & Deum
Expleta, & sitiens cupit.
O tantum liceat mihi

Hæc incendia pectoris
Leni spargere flumine!
Spargis, perluis, irrigas,
Ohe parce precor, precor!
Viui copia riuuli
Flammas excitat acrius,
Et mens languida viuidè
Fœcundis flagrat ignibus,
Et flagrare cupit magis.
O flamma! ô amor! ô Deus!
BO. *O magne terris Pontifex, maior polo,*
Vt te coruscis gloria inspergit rosis,
Et liliatæ purpuræ vestit sinu.
Vt emicantes oris ætherei faces,
Radiosque capitis vulgus animarum pauet!
O viue diuis, viue dilectus Deo.
IO. *Ades Boeti patricium quondam decus,*
Nunc altioris curiæ fulgens honos,
O quàm decorum pro Dei caussa mori!
O frater vt te cælitum rector beat,
Vt plena fundit gloria excelsas opes!
Accede, propera, iunge complexus pios.
Et tu catenæ Symmache ô nostræ comes,
Vt te lubenter teneo in amplexu meo?

Senex beate vicimus regis minas,
Senex beate vicimus Christo auspice.
SYMM. *O mi Boeti durus excessit dolor,*
Suoque lacrymas pollice extersit Deus.
Non tam catenæ liuidos stringunt pedes,
Non squallor altus obsitos artus grauat.
Fugit malorum sæua pestiferum lues,
In nosque plena Christus exundat manu.
Cerne ô Boeti quantus hic solij decor,
Vt alta templa lucis auratæ nitor
Æternus ambit, exulant noctis vices,
Nec casta furuo limina attingunt pede.
At quanta tectis gloria! ô regum domus,
O cellæ agrestes, suppudet vestri, licet
Profundæ luxus copiæ: vobis trabes
Scitè excauatas artifex iunxit manus,
Laqueata citro pondera, atque ingens ebur
Passim columnæ sustinent auro graues.
Cælatus ordo parietum argento nitet,
Hinc candicantes eminent statuæ, & suos
Per aulam honores flexibus varijs ligant.
Asarota sternit viua pretiosus lapis
Cæsim imminutus, perque picturæ modos
Discriminatur sæpè periturus labor,

Elementa cuius omnia exuuiis nitent.
At hîc viretis perpes in sacris honos,
Quem non niualis agger, aut ventus furens,
Nec cæli inertis fumidus tangit vapor.
Per prata læta, perque florigeras opes
Emissa sudant balsama, & lactis fluunt
Cum melle riui, fluuius hinc campos secans
Crystalla puris fontibus latè refert.
Aurum & lapillos alueo implicitos rotat,
Affusa stringens tecta fugienti pede.
Ripas coronat arbor, & longè patens
Virente semper alligat syluam comâ.
Duodena fructus decora per menses vehens,
Duodenus anni reddit emeriti labor.
Vbi ista tellus nuper assurgens polo?
Quam paruus imis subsidet pedibus globus!
Tales hirundo construit nidos loquax,
Totumque tecto figit in luteo larem.
At at tyranni ceu leues formicula
Et hinc, & illinc, mille per partes humi
Glebam fugacem diuidunt ferro & face.
Sed ecce summo considet iudex throno.

NEMESIS, IVSTITIA DIVINA. ANIMÆ INTERFECTORVM IVDICIVM.

TVum ad tribunal belluam adduxi Soror,
Contaminatam ſordibus, cæde impia.
Tandem illa tandem venit in caſſes meos
Petita præda, præda nexilibus plagis
Implexa, fruſtrà quærit effugium necis.
Audi innocentum flebiles quæſtus ſoror,
Et impiorum frange conatus truces.
IVST. Orate cauſſas, tempus eſt, mandat Deus.
IO. O diua cœli gemma, terrarum pauor,
Ecquas querelas ad tuas aures feram
Supereffluentis gloriæ riuis natans?
Mihi, fatebor, durior quondam fuit
Miſerandus ille, nocte cum mæſta obſitum
Cæci barathri, necuit infeſtâ fame.
Sed hic beatus carcer, & fœlix fames,
Quæ nos ad aſtra gemmeo curru vehunt.
BO. Teſtor perennis flammeam ſolis rotam,
Et fornicatas aurei ſedes poli.

Cùm læta gladio colla subijcerem tuo,
Non mihi dolebat vulnus, ast iram Dei
Tuosque casus præuidens, frustrà miser
Frustrà gemebam, cum tibi mentis feræ
Vallaret aures triplicis adamantis rigor.
SY. *Cùm te ad tribunal poscerem summi Dei,*
Delira ridens pectora explebas scelus,
Tunc inter altas totus effusus dapes,
Ardente vino floreâ messe obrutus,
Senis cruentum mortui tractans caput,
Oculis bibebas sanguinem mixtum mero.
Exinde quæ te damna diuexant, vides.
Furore mentis captus, ignotus tibi,
Tandem expuisti spiritum, quid me inuocas?
Vtinam cruore flecterem cæli minas.
Sed fata versant debitas pœnas tibi,
Et has querelas iustus extorquet Deus.

IVSTITIA DIVINA.
THEODORICVS.

IVS. *SEntina scelerum, facinorũ dire artifex,*
Audis querelas innocentũ? audis preces?
Effusus in te clamat ex terris cruor, ...

Meum tribunal flebili gemitu quatit.
Dextramque poscit vindicem : quid me aspicis?
Scelerate, quid me lugubri quæstu vocas?
Scilicet habenas orbis ego dederam tibi,
Vt præferoci mente proculcans patrem,
Vt innocentum cæde sacrilegâ madens
Ferres in astra debitum Furijs caput?
Incestuosi ferreum cordis nefas!
Quis sic rebelli mente contemnit Deum?
Iubet astra labi cælitum Rex & Pater:
Currunt, recurrunt astra pro nutu Dei.
Iubet sonoras Nerei furias premi,
Flectunt, reflectunt æquora ad nutum Dei.
Iubet serenis fluêre Titanem rotis,
Cursus, recursus fingit ad nutum Dei.
Iubet feraces parere telluris sinus,
Claudit recludit viscera ad nutum Dei.
Vnus homo mente ferreâ ridet polos,
Et esse censet maximum rerum Patrem,
Quod pupa, stipes, truncus, aut vnctus lapis,
Audes ad istud hiscere ô vecors caput!
TH. *O diua genitrix.*
I. *Diua? non fueram tibi.*
T. *Per te verendi capitis excelsum decus.*

I. *Quod tu efferato ſtulte calcabas pede.*
T. *Per ſceptra! Iuſt. Quæ tu vitrea cenſebas prius.*
T. *Per ſacra! Iuſt. quæ prophana feciſti impie!*
T. *Per Chriſtiani nomen. Iuſt. Hoc non eſt tuum.*
TH. *Per chriſma ſanctum! Iuſt. Polluiſti degener.*
TH. *Per ſanguinem Chriſti rogo! Iuſt. Chriſti? ô miſer!*
Chriſti cruorem, quem profudiſti nocens.
TH, *Et per beatos Angelos! Iuſt. Hoſtes tuos.*
TH. *Miſerere diua. Iuſt. Miſerear? Leges vetant.*
TH. *Aliud tribunal poſco. Iuſt. Quod?* TH. *Clementiæ.*
IVST. *Tunc te decebat carnifex clementia,*
Cùm conſularis fœmina ad ſolium tuum
Affuſa, peteret & viri & patris caput.
TH. *Erraui iniquus fateor, & me me pudet.*
Heu vermis intus æſtuans torret iecur,
Meiſque fibris paſcit æternam famem.
Quocunque ſpecto, mille carnifices mihi,

Tormenta mille, mille denſantur cruces.
Si ſpecto cælum fulgurat totum minis,
Si terram, hiantes finditur rimas agens,
Et me ruinæ turbine exterret minax.
Quòd ſi reflecto lumina ad corpus meum,
Iacet cruentum, pallidum, exoſum mihi.
Pigmenta ſortis regiæ, vah quam citò
Euanuerunt ſomniorum ſomnia!
Nunc anima fœda, inceſta, deteſtabilis,
Verſor, reuerſor, voluor, allidor, premor,
Miſerere diua. IVST. *Fata miſereri vetant.*
TH. *Cur mihi dediſti corpus? hoc ſemen mali,*
Hæc Lerna putris peſte me ſæuâ necat.
Quippe hic medullis carnifex paſtus meis,
Tua penſa Lacheſi texuit fune aureo,
Et mors ſub auro tecta per cæcum ruit.
IVST. *Poterat habenis comprimi, ſeruum dedi.*
Regem creaſti. TH. *Quid mihi tandem dabas*
Hanc aulicorum gloriam & fluxas opes?
IVST. *Vt ſubleuares pauperum mæſtam famem.*
TH. *Sed fræna laxant diuites vitæ impiæ.*
IVST. *Sed fræna cohibet optimus diuum timor.*

TH. *Cur me efferebas imperi ad summum decus?*
IVST. *Vt qualis esses proderet Fœlicitas,*
TH. *Me Sycophantæ turpis elusit dolus.*
IVST. *Quid Sycophantas obijcis? quippe es puer.*
TH. *Heu me fefellit spurcus hic dæmon!* Iust. *Deo.*
Tu præferebas dæmonem execrabilis,
Hic te crearat? passus hic causâ tuâ?
Hic pollicebatur polos? TH. *Horum nihil.*
IVST. *Et tamen Alastor placuit hic spreto Deo.*
Maledicte ad ignem: perge maledicte ad stygem.
TH. *Quin diua potuis si iubes, fiam vapor,*
Tellure rupta noxio qualis venit
Megæræ ab antro, si placet, fiam nihil
Ex rege tanto. Iust. *Te pati pœnas decet.*
Maledicte viues, ad tuos viues rogos.
TH. *O diua, Rex sum, fallor! at quondam fui.*
IVST. *Reges potenter præpotens torquet Deus.*
TH. *Permitte terris diua me ferri vagum.*
Aut membra pecudis induere, vel si libet

Apta figuram noctuæ regi impio,
Vt impiatæ culmine inſiſtens domus,
Feralegnatis occinam carmen meis,
Et aſtra noſtris dura lamentis gemant.
IVST. *Maledicte ad ignem :perge maledicte ad ſtygem.*
TH. *Sed quandiu durabit hic noſter rogus?*
IVST. *Maledicte quæris?quandiu ſtabit Deus*
TH. *Æternitas ! æternitas ! æternitas !*
Putáſne viuam merſus his ardoribus ?
IVST. *Maledicte viues, in tuas viuus cruces.*
TH. *O diua, ſaltem guttula roris tui*
Attemperabis miſericors flammas truces.
IVST. *Ego iuſta, quid demens miſericordem vocas ?*
TH. *O diua, ſaltem per tenebroſos ſitus*
Gementis Orci, ſparge vel radium poli
Librans ſub axe, ſi negas, lucem mihi.
Fac de ſceleſtis ignibus, fac de face
Furiarum. Atrocem poſtulo : at miſero eſt ſatis.
ITST. *Maledicte lucis templa ſpreuiſti prius.*
Maledicte ad ignem:perge maledicte ad ſtygem.
TH. *Vnum precabor, quando me ad flammas iubes*

Abire, quandò me hoſpitem fornax manet,
Stratuſque ſpiris anguium, & prunis thorus:
Euiſcerati pectoris vermem eripe,
Qui tabe lenta deuorans pectus coquit.
IVST. *Aletur igne tartari vermis tuus.*
TH. *O vermis, ô flamma, ô tenebrarum domus!*
Æternitas! æternitas! æternitas!
Maledicta mater miſera, maledictus pater!
Maledicta quæ me peperit huic mundo dies!
Maledicta ſceptra! regna maledicta, impia!
Maledicta cœlo ſtella natalis mei!
Inter cometas ferreum condat caput,
Aut mecum in atrum miſſa præcipitet chaos.
IVST. *Satis eſt, in ollam mitte Vulcani ſoror.*
TH. *O vermis! ô flamma! ô tenebrarum domus!*
Æternitas! æternitas! æternitas!

FINIS.

HERMENIGILDVS,

ACTIO ORATORIA.

ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO ANTISTITI HENRICO GONDIO, Cardinali, Radesiensi Episcopo Parisiensi.

DVBITAVI *sæpe (Cardinalis Illustrissime) quo telo potentius feriret animos Eloquentia, num vincta, num soluta oratione. Magna certe est in versibus illecebra, quos hamos & quasdam veluti mentis* πτερόνας *veteres non inconcinnè dixerunt: Sed suum quoque grandis & accurata regnum exercet in mentibus Oratio. Est enim Eloquentia flumen mentis, quod profecto sine istis numerorum vinculis fluit liberius, & quo minus habet affectatæ industriæ, mouet efficacius. De*

hac re cum mecum nuper dissereret Petrus Mathæus, is qui lucem veritatis historiam, vicit ingenij luce, & in oratorum partes vehementius propenderet, Hermenigildum nostrum, quem actione oratoria scriptum prope verebar ad quadrigas poëticas pedestri itinere committere, sua mihi suasione, sub tuis auspicijs, cui sciebat non ingratum fuisse, de manibus expressit. Non dubito quin Rex martyr sua commendatione magnus, tuo iam calculo probatus, fidentius exire possit in publicum; certe nemo est qui non magno sensu pietatis excipiat florentissimum iuuenem, qui in Christi caussa duo quæ in rebus humanis maxima sunt, & fuerunt, vitam ac regnum neglexit, & impendit.

ARGUMENTUM EX SS. GREGORIO ROMANO, TURONENSI, & Baronio.

Hermenigildus Leuigildi Gothorum Regis filius ab Ingunde Sigiberti Francorum Regis filia, eius vxore, Catholicis aggregatus, nouercalibus odijs dirè exagitatur, tandemque iussu patris ærumnoso carceri sub ferro & cilicio mācipatus, cùm Arrianam hæresim constantissimè respueret, intēpestæ noctis silentio, pro retinenda fidei integritate ceruicem præbuit carnifici, martyr lōgè illustrius suo cruore quàm regali purpura nobilitatus.

DIVISIO ACTIONIS.

PARS PRIMA.

HErmenigildus Goizuinthæ nouercæ malis artibus, & Leuigildi Patris, qui eum inflammato animo prosequebatur armis vexatus, statuit se potius inermem parenti sistere, quàm repugnando eius salutem in discrimen adducere. Hoc illi Erasistratus Dux, consiliorum omnium socius acerrimè dissuadet. Verùm Recaredus Leuigildi minor natu filius, ad fratrem, cum Legatis à Patre missus, pacis sancit fœdera, & Hermenigildum haud reluctantem in proxima parentis castra pertrahit.

PARS II.

DAriaces & Hermenifridus potentes aulici, Goizuinthæ in scelere administri, de opprimendo Hermenigildo deliberant. Leuigildus Rex, cũ tardiùs veniret Recaredus, iubet cani classicum, magnâ calumniatorum lætitiâ: Sed repente aduolat pacis nuncius Recaredus, quem mox Hermenigildus frater consecutus, ad Patris pedes aduoluitur: Leuigildus eum erigit, & ingẽ-

ti gaudio delibutus filij squallorem, Regij cultus magnificentia, triumphorumque ornamentis abstergit.

PARS III.

HErmenifridus & Dariaces nouis vulneribus veteres cicatrices rumpunt, & suspicacem Leuigildi Regis animum confictis adulterinis literis, non leuiter aduersus Hermenigildũ incendunt. Nec mora, Rex filium accersit, accusat, insectatur, Regijs vestibus exutum cilicio induit, & diris catenis constrictum addicit carceri.

PARS IIII.

HErmenigildus apud Patrem, & Regij consilij consessum, in cilicio, & catenis præclaram habet apologiam; sententijs in varia distractis. Rex sibi nihil deliberatius esse dicit quàm Hermenigildum filium, nisi religioni nuncium remittat, de medio tollere: quod cùm Iuuenis constantißimus facere recusaret, in carcerem retruditur. Durias Hermenigildi Comes indiuiduus, calumniatores cruenta palma exultantes acerbis vocibus insectatur.

PARS V.


LEuigildus intempestæ noctis silentio Tribunum mittit ad filium, qui ei vltimam

necessitatem denunciet. Ille feralis sententiæ fulmen quasi cælestes nuncios excipit: cumque denegatis Catholicorum Episcoporum alloquijs, Ariani se illi insinuare cuperent, eorum dogmata moribundus execratur. Tandem post grauissimos cum fratre Recaredo, & Erasistrato sermones habitos, ceruicem præbet carnifici. Vix è vita excesserat, cùm cælestes flammæ, & Angelorum chori eius innocentiam testantur. Leuigildus Pater affusus innocentissimi Iuuenis feretro, veniam postulat, & fatum suum acerbissimè deplorat.

PERSONÆ.


Leuigildus.	Rex	*Hermeni.mart.*	Regis filius I.
Recaredus.	Filius Regis.	*Erasistratus.*	Principes.
Cardaces.	Principes.	*Durias.*	
Sophroniscus.		*Athaulphus.*	Legati.
Dariaces.	Duces.	*Gesnericus.*	
Hermenifridus.		*Igerdes.*	Magistri
Leonidas.	Tribunus.	*Alaricus.*	Militum.

PROLOGVS



NSTINCTVM *furiis scelus exitiale nouercæ,*
Et nati immerito respersum sanguine patrem
Pulpita nostra sonant. O tu qui fœdere certo
Res hominum euoluis genitor, quæ causa pudicum
Extrusit iuuenem tanto de culmine rerum?
Vix dum illi flauos prima lanugine vultus
Induerant anni: qualis se candice trudit
Flos tener, atque hospes lucis Titana salutat,
Veh misero incussus cœli formidine grando
Purpureum elisit caput, & præcerpsit ouantes
Terræ diuitias: Talis se mente ferebat
Magnanimus iuuenis, sacro maturus honori,
Cum vota exscindit mulier, reuolutáque pensa
Parcarum inuertit, surgentem ad pondera dextram

*Tot ſceptrorum, odiis, & acerbo funere preſſit.
Sed tamen impendit vitam cœleſtibus, inſons
Inſontem, doctus pro religione paciſci.*
*CAEDITVR, ET VINCIT SVRGENS PER VVLNERA VIRTVS,
AVREVS HIC TRVNCO RAMVS DE CAVDICE VERNAT.*





PARS PRIMA.

HERMENIGILDVS
ERASISTRATVS.

HERMENIGILDVS
GOIZVINTÆ NOVERCÆ
malis artibus, & Leuigildi Patris armis vexatus, de ſuo negotio deliberat.

HERMENIG. VO me in rerum mearum articulo pater deprehendat, Vides Eraſiſtrate, virorum omnium ſuauiſſime. Iam eò nos adegit inimicorum atrocitas ve

aut cædendum ſit, aut moriendum, quorum alterum crudelitatis eſt, alterum calamitatis. Sed veniat ſanè genitor mihi ſemper iniquor quàm eius humanitas poſtulabat, veniat & quicquid dedit ipſe ſanguinis maleuolorum meorum artibus exulceratus hauriat. *Teſtor te ſancta Pietas*, Satis animi eſt, ſatis in militum fide ac robore præſidij conſtitutum, ſi vellem armis decertare, & vim quam vltima neceſſitas in iſtis caſibus extundit, ad repellendam iniuriam exerere: ſed neque hoc Deus ſinat, neque tam tetrum facinus ſol iſtis oculis quibus colluſtrat omnia videat, moriar inermis, purus, illibatus, & *optimæ conſcientiæ gloriam ad manes vſque cineréſque transfundam*. Vide igitur iuuenum amantiſſime, an parentem adeamus, vt ſi animum eius emollierimus ſalutem, ſin vero inimicorum odia plus valuerint mortem quæ nos iſtis cruciatibus exſoluat aſſequamur.

ERASISTRATVS.

Hermenigildi Comes dissuadet ne se paterno furori nouercæ artibus instigato committat.

TVÆ quidem illæ voces (Princeps omnium optime atque innocentissime) grauissimis dolorum stimulis adeò pectus effodiunt, vt non modo deliberandi facultatem, sed loquendi facilitatem eripiant. Verum quo innocentiam tuam in his rerum acerbitatibus pestifera afflatam calumniâ indigniùs exagitari video, eò vigilantius consulendum arbitror, vt illa misera & diù iactata reflantibus fortuna ventis in tuto atque hospitali portu conquiescat.

HERMIG. Rectè mones, agedum consulamus.

ERASIST. Tu igitur te præsidiis omnibus exarmare & patrem nudus adire

poteris; quale est istud (*Hic te salus appello*) consilium? est quidem fateor innocentiæ tuæ, nihil timere, tutam se vbique sua conscientia arbitrari, rumores contemnere, *vitam & facta telis hostium prætendere*, sed tamen vide ne tu dum aliorum mores ex tua tibi innocentia depingis, in eos te laqueos coniicias vnde nulla ratio expediendæ salutis deploratis rebus oriatur.

HERMENIG. Quomodo?

ERASIST. Tu scilicet patrem adibis? vtinam is esset quem tuto adires pater, tu hominem adibis ingenio sæuum, insolentem victoriis, natura turbulentum: fac tamen blandum, fac mitem, fac sui nominis memorem, & sanguinis, quando ei per nouercæ, & inimicorum tuorum furias licet quiescere? qui animum iam capitali odio vlceratum perpetuis instigant tædis, vt si quo tempore communis natura maleficio reclamaret, tamen inter eorum tumultus compressa atque illisa conticesceret.

HERMENIG. Qua ratione?

ERASIST. Illi ſunt qui te veneficum, parricidam, hoſtem patriæ, buſtum legum, carnificem bonorum omnium, funeſtis omnino apud patrem depingunt coloribus. Eorum petulantiſſimis vocibus iniurioſi ſenis aures occupatæ, nullum innocentiæ tuæ locum reliquere. Quos ad vim perditorum hominum infringendam, ad vitæ præſidium, ad perfugium ſalutis fidiſſimos comparaſti milites, hos ad ſuam perniciem & patriæ vaſtitatem inſtructos, clamat. Fertur ardens libidine, æſtu febrique intemperantis animi iactatus, cruorem ſitit tuum, hunc ſibi non libandum leuiter. Sed ex aſſe profundendum putat.

HERMENIG. Qui ſcis fortè iam nobis eſt conciliatus.

ERASIST. O Deus immortalis! quid tibi præter miſeram animam reliquerit vides, regiis ornamentis exutum, paternis extruſum ædibus, inopem, afflictum, vagum, mari & terris perſequitur, con-

iurato in vnius perniciem toto elementorum onere, manes ipſos ſi viuus peteres, te ad inferos vſque inſaturabili odio proſequetur. Et nunc in tot anguſtias coniecto, quam partem quietis concedit? Habent iſtud certè miſeræ fugitiuæque belluæ, vt ſi quando vis acrior venatorum in earum perniciem incubuerit, per dumeta ſalebraſque flexuoſas iter ſalutis expediant, & gelidis amnibus circunfuſæ tantiſper à defatigatione conquieſcant. Tibi non aula, non lectus, non ſolitudo ipſa infelicium commune perfugium ad quietem data, paternus vbique occurrit furor, vbique ſæui & minaces gladij in tuum iugulum intenduntur, vbique latronum debitæ ceruicibus ſecures regiæ ſoboli formidandæ.

HERMENIG. Verum eſt, at fiducia & patientia mea miteſcet.

ERASIST. Tu iſti homini te inermem credes? ô miſeram vitæ rationem ô nimis credulam in propriis periculis inno-

centiam, crede te potius immitium belluarum latibulis, crede Leonum Tigriumque furoribus, quam te isti perfidiæ committas.

HERMENIG. Quid igitur, pugnandum est?

ERASIST. Enimuero pugnandum est quando in solis armis constitutam esse salutem inimicorum voluit immanitas, non is ego sum, qui nefas suadeam, qui probem parricidium: magna vis est fateor paterni sanguinis, cuius si quæ macula concepta est à corpore manat in animos, & mentem inexpiabili sacrilegio irretitam, dementia atque furore confundit. Non hoc ago vt patris iugulo ferrum intentes, sed vt vitam ab inimicorum qui patrem circunstant atrocitate vendices. vtere naturæ legibus quas ne belluæ quidem ignorant, vim repelle viribus, assere te in eam quam potes libertatem. Quod si ciuilium nobis armorum subeunda est crudelitas, faciamus saltem quod boni gladiatores

ſolent, vt ferrum virili animo excipiamus: Sed omen Deus auertat, omnia ſi vis in tuto ſunt. Te flos militiæ delibatus ſtipat, apparatæ ſunt copiæ, illibatæ pecuniæ, boni ſocij; amici fideles, commeatus profluentes, caſtra oppidò perquam munita, ſi modo ſit is qui nunquam defuit hominum victor, ſceleruMque triumphator animus proximam libertatem video.

DVRIAS HERMENIGILDVS LEGATI.

Afferuntur nuncij de Recaredi in caſtra repentino aduentu.

DVRIAS. RECAREDVS frater tuus princeps illuſtriſſime legatus à patre venit in caſtra, petitque in conſpectum admitti.

HERMENIG. O fortunatos nuncios, fac ſecurè ad fratrem ingrediatur.

DVR. Vides prænuntios.

LEGATVS. Frater tuus Recaredus Princeps Illustrissime proximus est, nos interim cum oliuis, vt vides præimus, pacis amatores; pacis nuntij, pacis si per te liceat exoratores.

Reuerere (princeps optime) reuerere frondem istam quam otio & tranquillitati consecrari cœlestes voluerunt.

Reuerere tuos supplices, quos tibi non afflictæ fortunæ turpis quædam necessitas, sed officiosa pietas immisit. Reuerere Litas illas maiestatis eximiæ virgines, quæ ad sempiterni numinis tribunal peruigiles sedent & eos qui arrogantis animi fastu suos contempserunt clientes seuerissimè puniunt.

Vtinam princeps optime possem tibi vno aspectu ob oculos ponere gemitus, suspiria, turbines acerbæ calamitatis, quibus in hoc impendentis belli metu gens tua conflictatur: scio quia ista tua oculorum *fulgura repentè in lachrymarum imbres liquescerent.* Quid mitissimo pectori tuo, cum istis armis quæ ad pa-

triæ ſubſidium, non ad terrorem ciuium exeri oportuerat, *quid per circuitum petis gloriam quæ in manu eſt*? Te Regem Gothorum non perditorem fata voluerunt. *Via tibi ad imperium tota ſi nos audis oleis ſtrata eſt*, per hanc non per miſerabilium ciuium ſtrages licet tibi conſcendere.

HERMENIG. Pacis me ſemper amatorem habuiſtis Duces fortiſſimi, nunc autem & authorem vt ſpero habebitis, vbi eſt frater meus?

LEG. Mox aderit.

RECAREDVS FRATER HERMENIGILDI.

Suadet reditum ad Patrem, & perſuadet.

ANTEQVAM ea dicam quæ à me legationis ratio poſtulat, ſcire aueo ad fratremne an ad hoſtem venerim?

HERMENIG. Frater ſum, Recarede, frater ſum, accede complectere, ô frater Recarede, ô frater.

REC. Me miserum quæ castra olim hostium spoliis læta, nunc mœsta videntur & lugentia tanti facinoris cladibus ingemiscere, hic frater, in proximo est pater, vterque armis infestus incurrit: quid agam infœlix, nisi vtriusque exercitus pondus excipiam, & iter ad facinus meo si possim corpore penitus occludam.

HERMENIG. Amplector tuam pietatem. Recarede frater, amplector innocentiam.

RECAR. Frater (neque enim hoc nomen vnquam amittes) quo te tuorum consilia, & in quam perniciem adegere, noui æquitatem animi tui, noui eximiam pietatem, atque vtinam te tui similem maluisses, quam istam exaggeratæ virtutis indolem alienis coloribus infuscare. Tandem igitur confligemus? tandem exerentur arma, & in diu meditatum scelus erumpent? *O solem ipsum miserum, qui antequam abdat se in Oceanum germani sanguinis maculas concipiet.*

ERAS. Disertior est iste orator quàm vellem, timeo ne quid interturbet.

RECAR. Frater, quid moliris? patria est si nescis quam oppugnas, quæ misera, & ista temporum fuligine tetrè deformata eas ipsas manus quas Deo immortali pro tua salute sæpius innocentes obtulit, tibi nunc supplices tendit, orat, atque obtestatur, ne se diripias, ne laceres, ne spiritum quem illi à te refundi oportebat, per inauditum scelus eripias; *ne tu in euersæ parentis desolatis cineribus tuorum gloriam trophæorum constituas.*

HERMENIG. Absit à me frater, absit hoc scelus.

RECAR. Frater quid agis? pater est si nescis quem insequeris, fac te in belli laboribus impigrum, in periculis animosum, in victoriis fœlicem, quale tandem futurum est istius fœlicitatis præmium? miserum me! iterum exclamare cogor, equidem illud dicere, exhorresco quod tua humanitas non patitur, sed

tamen dicendum eſt.

Tu ſenem iam ſuo fato occidentem viuum & ſpirantem in patriæ rogum impones? Tu patrem de rerum humanarũ culmine deiicies? *tu per genitoris proculcatum cadauer ad imperÿ gubernacula tranſcendes*? & erit fortaſſe aliquis proteruus atque inſolens lixa qui cruentas interfecti ſenis reliquias conto præfixas oſtentet, ſpectaculum cœlo terriſque erubeſcendum, quaſi vero non alia ſuppetant tuæ iſtius fortitudinis inſignia, quam ſi cruore factorum tuorum annales inſcribas.

Ego te per diuum religionem, per communem ſanguinem rogo, per iſtam dextram, per genua quæ amplector, frater noſtri tuique miſerere.

HERMENIG. Surge mi frater, ſurge, quid facis?

RECAR. Flecte mentem iſtam, animum doma, vince iracundiam, noli in peſtem tuam proiectus incumbere, præſto eſt pater, cuius ego iuſſu in hæc ca-

ſtra penetraui, qui te excipiat qui omnem ſimultatem eluat, & jacentem illamatque inclinatam fortunam in priſtinum decus erigat, omnium qui te oderant conſopitæ ſunt inimicitiæ, odia in fomite præfocata, conciliatæ voluntates, omnes quotquot ſunt mortales aduentum tuum in caſtra quaſi lætiſſimi ſyderis aſpectum præſtolantur. Tu aut ocyus mecum in patris amplexum inuola, aut ſi adhuc in iracundia perſiſtis me vnum quæſo pro omnibus ſuccidaneam victimam accipe, & meo cruore quicquid malorum patriæ ceruicibus impendet elue.

HERMENIG. Frater viciſti. quid vrges? *Dei vindicem oculum teſtor*, nunquam in te & in patrem meum hoſtili, ſed ne alieno quidem animo fui, & hæc quæ vides arma, non ſunt ad vim inferendam compoſita, ſed ad eorum infringenda conſilia, qui facilitatem parentis in cædem innocentis armarunt, nunc autem ſi omnia conſopita ſunt vt dicis,

ſequor

ſequor te, & ſola munitus innocentia patri imbelles manus offero.

Præcede frater ſtatim ſequor.

ERASIST. Miſerum me! Pergis Hermenigilde in carnificinam: vtinam vanus ſim augur, ſed timeo iſta verborum lenocinia, timeo blandam ſerenitatem, ſuſpecta ſunt omnia. Ad ſummum ſi me audis *fortunæ & nouercæ male creditur.*

HERMENIG. Noli quidpiam ſiniſtrum ſuſpicari (mi Eraſiſtrate) ingenuus eſt frater.

ERASIST. Sequor te ad peſtem ante oculos poſitam, malo à te conſilium non probari meum, quam deſiderari fidem.

DVR. Ego te per iſtam dextram, per genium, Princeps, obſecro tuis potius, quàm hoſtibus crede; noli tanti diſcriminis aleam ſubire.

HERMENIG. Quid me excruciatis? alea iacta eſt. malo alieno ſcelere extingui quam timiditate mea, eamus.

Alaricus præmittitur à Rege qui Hermenigildum excipiat.

ALARICVS. NVNQVAM Solem vidi placidiorem nobis hodierno illuxisse. Hermenigilde Princeps, propera, dici non potest quanta sit in castris tui aduentus expectatio.

HERMENIG. Ain tu? vbi est pater meus?

ALAR. Prope est, & te lætus, alacer, spei plenus expectat.

HERMENIG. Quid aiunt Duces, & milites?

ALAR. Mirus omnium fauor, plerique iam sparso tui aduentus rumore gladios, & hastas coronarunt.

HERMENIG. Sunt inter istos Hermenifridus & Dariaces.

ALAR. Non vidi.

DVR. Et hoc timendum est.

HERMENIG. Eamus.

ALARIC. Deus immortalis pax hodie parta est, vnum timeo, aiunt Nouercam crebros nuncios ad Regem mittere &

linguæ flabello totum iſtud negotium acerbe ventilare.

CALVMNIÆ DETESTATIO.

NVSQVAM viſceribus Colchis inhoſpita
Tam crudele tulit virus in abditis
Quam lingua, anguiferi portio Cerberi,
Terrarum exitius ferox.
Hæc mittit iaculans ſpicula, ſpicula,
Quæ Neſſus furiæ ſanguine proluit,
Huic ſe fama volans ad latus applicat,
Et par exequitur nefas.
O proles Erebi, luctifici Parens
Et nutrix ſceleris, dum tacitis volas
Pennis per nebulas, inficis, & fugas
Monſtris attonitum Diem.
Tu quacunque gradum mobilis imprimis,
Semper liuor edax, & rabies malæ
Mentis, præcipites ac furiæ, tibi
Denſis agminibus ruunt.

Tùm serrata fero pectine dentium
Consurgit series, ludum inamabilem
Morsu continuo ludere pertinax,
Tota heu stragibus incubat.
Non te vestibulis ardua sanctitas,
Non regalis apex summouet, improbâ
Artus femineces ingluuie voras,
Et cassa in tumulos furis.
Nunc per te mulier tot scelerum capax,
In seruile nefas sollicitat virum,
Priuignum exagitat liuida, & innocens
Cæco marte petit caput.
Arbiter cæli venerande, cuius
Fulmen excussum pauet aula Ditis,
In tuos nulla satiata clade
Æstuat ira.
O tuæ tandem miserere gentis,
Conde flammatas pharetra sagittas,
Aureo vultu grauidam malorum.
Discute nubem.
Thura nos aris dabimus sabæa
Compotes voti, tibi casta virgo
Et puer læuis feriet canoro
Æthera versu.



PARS II.

DARIACES ET HERMENIFRIDVS Goizuinthæ in ſcelere adminiſtri, de opprimendo Hermenigildo deliberant.

QVID *hoc ſiniſtri* eſt quod hodie ſe rebus meis iam placidè fluentibus illeuiſſe audio? Recaredum ad fratrem pacis internuncium eſſe profectum? Nimis hic feriatur mucro, nimis ceſſant manus, nimis langore & ſocordia virum fregimus. *Quid reſtitas anime? deſes anime, quid fluctuas?* Regnantem expectas Hermenigildum, & tuis inhærentem ceruicibus durum, atrocem, arrogantem, imperioſum? *Domino vel bono quidem tibi non eſt opus,*

Eat qua ſemel luſit furor. *Iamdiu vires collegit in minimis, ne titubet in maximis, nondum quod toto animo facio iam perfeci, vt ſim peſſimus.* Relinquenda ſunt hodie veteris malitiæ tyrocinia & palmari aliquo ſcelere in ceruices adoleſcentis eſt inſaniendum. Sed video Achatem meum, & quidem opportune, Effare Hermenifride, quid tibi animi eſt, triumphantem hodie videbis Hermenigildum.

HERMENIF. Sæuit intimis viſceribus infixus dolor, & lymphatam mentem rapit, agitat, inuertit. Redibit igitur ille ſpoliis noſtris ferox, inſolens, æſtuoſa blandientis fortunæ abreptus impotentia? heu deſides furias quæ tenuem homulum iam præcipitantem impellere non potuerunt: heu fruſtra exhauſtos Orci furores quam nobis male conſultum eſt.

DAR. Cenſes tu exhauſtos in tantillo ſcelere inferos? mitte curas, ego illi tetrum & funeſtum reditum apparo.

HERMENIF. Dariaces, clypeum sumimus post vulnera, putásne ipsi iam triumphanti fascinus nocebit inuidiæ.

DARIAC. Sine me, sine *nihil tam altum fortuna constituit quò non adrepant inuidiæ cuniculi*, sederit licet in Phraotis aut Cyaxaris solio, ego cumulum diruam.

HERMENIF. Quin potius si adhuc salus in integro est, quando nihil aliud possumus, mentem ad saniora consilia referamus.

DARIAC. Ignaue quid dixisti ? tam opimam prædam in medio cursu relinquemus ?

HERMENIF. Innocens est.

DARIAC. At ego sum nocens.

HERMENIF. Satis diu, sed irritos arcus intendisti.

DARIAC. Postrema plaga, sed luculenta feriam.

HERMENIF. Nihil te pudor ?

DARIAC. *Pudet me satis non esse impudentem:* tu verò abige istam & ad virgi-

nes ablega verecundiam . ſed Regem video, qua mente ſit audiamus, & ſi ardere ignis inceperit affundamus oleum.

LEVIGILDVS REX cùm tardius redirent pacis legati iubet cani claßicum, Sophron Princeps maturè diſſuadet.

QVANTVS ſit dolorum atque incendiorum fomes filios genuiſſe, meis ego damnis experior, cui *infœcundam illam fœcunditatem* dij immortales dedere, & in id ſolum patrem fecerunt, vt orbi terrarum eſſem inſidiantis fortunæ ſpectaculum. Iam eò res deuenit vt hodie mihi filij cruore aſſuetæ exterorum triumphis manus ſint reſpergendæ, aut ſi iam cœleſtibus viuo grauis, & inuiſus, *hic degener, per artus patris fugam illam ſuam explicet, & ex cruentis ſenis exuuiis, ſui ſacrilegij trophæum erigat.* Sed omen auertat Deus, faciam ego vt ſcele-

ſtus intelligat, dextram iſtam non minus eſſe in debellandis hoſtibus, quàm in frangendis ciuilium diſcordiarum motibus exercitatam, faciam vt totus orbis terrarum reſciat in parentum ſatellitio militare vltricem Nemeſim, quæ in filiorum conſceleratorum pectoribus tela ſuæ iuſtitiæ defigat. Non redit Recaredus meus, & timeo ne execrandus ille in fratris cæde proluſerit, vt ſicam eius cruore intinctam in patris latus immergat, arma arma totis caſtris expediantur, dent ſignum æneatores, immergendus neceſſario ſcalpellus vlceri: *Crudelem* (vt aiunt) *medicum intemperans æger facit.* Agite Duces fortiſſimi, videte an expediti ſint milites, vt quamprimum in aduerſariorum caſtra inuolemus.

HERMENIF. Faciemus ô Rex, quod iubes, aiunt iam ex hoſtium parte moueri ſigna, & Recaredum re infecta ad nos redire, reſtat vt armis tota res diſceptetur.

DARIAC. Armis ô rex non verbis frangenda eſt contumacia.

LEVIG. Ite & rem pro veſtra prudentia curate.

PRINCEPS II. Recte ô rex imperaſti, *omnis mora ſed maxime in hoc rerum diſcrimine odioſa eſt*, aut occupandum aut tolerandum facinus. proinde antequam nos adoriantur, perrumpendum in eorum caſtra cenſeo.

PRINCI. Tui quidem arbitrij iubere ô Rex quæcumque ſalutaria duxeris, *nobis autem ſufficit obſequij gloria*: Verum ſi me audis, nihil in re tanta præcipiti animo faciendum cenſeo. *Omnis mora* (inquit Cardaces) *odioſa eſt ſed profecto facit ſapientiam*, ex aduerſo *importunus ſatelles iracundiæ præcipitare mauult in negotia, quàm deſcendere*. Quid vnquam ſimile viſum aut vbinam gentium auditum eſt? miſſus eſt ad fratrem ſuum adoleſcens, tantæ rei internuncius, qua vna omnium fortunæ, ſalus, vita continetur. Redit vna hora fortè tardiùs in caſtra quàm expe-

ctabas (ego & viuere & valere existimo) tu cani iubes classicum, vt vbi ad arma conclamatum fuerit, repentino hostium tumultu obruatur. Sed (opinor) hic adolescens aliquid læti nuntiat vultu enim vt video præfert quandam hilaritatem.

IGERDES, REX.

Leuigildo afferuntur nuncij de Recaredi reditu & Hermenigildi aduentu.

LEVIGILD. AGE adolescens, ocyus expedi, quid nuncias?

IGERDES. Redit in castra Recaredus florenti vt video militum globo præcinctus, aiunt in ipso comitatu fratrem esse.

LEVIG. Ain tu?

IGER. Aio quod ipse his oculis vidi.

LEVIG. Quid igitur sinistri dictitabant isti, signa iam ex hostium parte

commoueri?

IGER. Quid dixerint alij nescio, quod vidi hoc affirmo.

Recaredus præsto est, & magnæ vt opinor lætitiæ nuncius.

SOPH. Deus immortalis quantum est in mora remedium! hic felicissimus Gothorum populo dies meis consiliis illucescet.

LEVIG. Fac cito in patris complexum veniat.

IGERD. Quid si ipse Hermenigildus venerit?

LEVIG. De hoc alias nunc mandatum cura.. Leuig. Recar.

Fili quid affers cito expone.

RECAR. Lætos & florentes nuncios mi pater, tuus ille, meusque Hermenigildus nunquam à te quod sinistra hominum fama palam disseminauit alienatus redit in castra, & vltro si iubes in tuos amplexus inuolat.

LEVIG. Prætexis fortasse mi gnate tanto facinori speciosum titulum, &

fraterni amoris abundantia multa fingis, multa dissimulas. Sed per Deum immortalem dic quò te vultu quibus te verbis excepit?

REC. Pater nihil eius affingo pietati quæ plenam habet & cumulatam laudem. Vidi his oculis iuuenem, ægrum corpore & animo, squallore & luctu obrutum, heu quantum ab illo tuo Hermenigildo immutatum! Tamen inter dolorum quæ ipse constanti animo ferebat incendia, nihil de suo casu querebatur, tantum dolebat se maleuolorum consiliis à tua beneuolentia distractum. Iamque id consilij cœperat, vt se potius inimicorum furori trucidandum obiiceret, quam in te durius aliquid consulere videretur. Vbi vero me pacis internuncium vidit, repente arma posuit, complexus est, illachimauit, hæsimus in militum conspectu mutuis amplexibus impliciti, mutuis lachrimis perfusi, iucundum plane ipsis qui bellum & cædem antea spirabant spectaculum.

Nunc autem vt planè eum intelligas sola innocentia securum, nudus & inermis in tuum conspectum venit, iubésne admitti?

LEVIGIL. Volo, iubeo, concupisco. Heu vim sanguinis! heu blandum & amabile filiorum nomen! *Ego parens esse sexagenarius disco*, & ille ferox atque hostilis animus ad istius pietatis nomen tanquam fluctus ad scopulum allisus euanuit.

RECAR. En pater quem requiris.

HERMENIGILDVS paternis pedibus aduoultus.

HERM. ADSVM pater optimè *tuus Hermenigildus*, quemcunque exitum res tulerit semper tuus. Paterna domo expulsus eorum artibus, qui tuam clementiam in caput innocentis armarunt, sine foco, sine lare, *orbis terrarum exul*, *viuo*: Ante mortem pene vi-

uis exemptus, inter saxa & solitudines precarium spiritum duco, feris ipsis miserandus: si nondum iras eorum expleuimus qui me insaturabili odio prosequutur, *& tam feralibus eorum sacris deuota sum victima*, en pater inermes ad te manus tendo, saltem hoc vnum erit iactatæ fortunæ solatium, ad tuos pedes cecidisse, tuis genibus vltimos commisisse anhelitus, *& innocentiam quam ferro vltra tueri nolui, cruoris mei riuo depinxisse.*

PRI. II. Satis est (ô rex) magnanimo quod aiunt leoni corpus abiecisse, erige supplicem, amplectere filium.

LEVIG. O nate! ô nate!

HERMENIG. O Pater!

LEVIG. A genibus manus remoue, & brachiis parentis collum implica.

HERMENIG. O Nate: ô nate!

HERM. O Pater.

LEVIG. O fili quibus te procellis iactatum teneo in sinu meo, Hermenigilde fili, quam male fuerat à sinistra fama tuæ innocentiæ impositum! nunc au-

tem ista fiducia omnes mihi hodie simultates radicitus extraxisti, Erasistrate laudo fidem tuam.

ERAS. Possum tibi ô rex omni ratione hoc affirmare, dum inter tot & tam crebras fortunæ procellas æstuaret, non eum vitæ desiderium excruciabat, non terrebat mortis impendentis timor. Vnum tantum dolebat, quòd mortui cineribus perfidiæ macula per atrocem calumniam imponeretur. Atque in id tantum hic ab eo secessus fuerat arreptus, vt se flagranti inuidiæ subduceret, donec eius integritatem temporis æquitas efferret in lucem. Quamobrem vbi primum vidit molliores ad te aditus patere, venit nudus, inermis, *tam plenus fiduciæ quam innocentiæ.*

LEVI. Agnosco nate tuam integritatem & cœlestibus gratias ago, atque habeo, qui canos meos tam luculento hodie beneficio cumularunt. Exue istas vestes, squallorem absterge, regales, & te dignos cultus assume, afferte ocyus

vestes

vestes magnificis operibus pictas, quibus filium vestiam.

HERM. Pater antequā squallorem quem iubes exuam: eos omnes tibi commendo qui fugam hanc miserrimā sunt consecuti, quibus nec in te fides, nec in me beneuolentia defuit.

LEVIG. Eorum ego factum laudo, qui infelicis domini casibus indoluerunt, & virum non fortunam sequuti sunt. Bene est, abunde est, fortunatissimus hic Gothorum regno dies illuxit. Eamus nate: tu cum fratre & proceribus ad regales epulas veni.

HERM. Erasistrate tuta sunt vt vides, omnia; aspicis etiam ciuium trepudiantium choros obuiam procedere.

ERAS. Quidquid est, tria timeo, *Mare mortuum. Senem amatorem, Nouercam blandientem.*

PROSPHONETICON.

Princeps Sydere purior aureo, &
Phœbo formosior imberbi,
Optata diu gaudia defer
Regum soboles Hermenigilde.
Pressas galea fulgente comas
Phœbi tenera fronde serena,
Sudata Chalybs pondere membra
Nesciat, ostrum suscipe fœlix,
Felix Princeps Hermenigilde.
Te sine solis lumina pallent,
Te sine marcent lilia pratis,
Nec dulce micant pæstana rosis,
Nec vina placent dulcia Baccho.
Residi torpet Minius vnda,
Lutulenta Tagus polluit ora,
Optate *tuis* Hermenigilde.
At tu patrius redditus oris,
Reddis princeps dulce serenum,
Solis melius lumina fulgent,
Candent lilia pulchrius agris,

Pæstosque rosis purior ardet.
Iam vina placent, volucres rotat
Minius vndas, Tagus ipse suo
Iam luxurians mergitur auro.
Dilecte dijs Hermenigilde.
Tibi flore capit puer aureolo,
Tibi virgo facis digna maritæ,
Tibi cum senio mixta iuuentus,
Sonat arguto carmina plectro.
Dilecte viris Hermenigilde.

HERM. Amplector vestra officia, nec me ingratum vlla vnquam dies visura est.



PARS III.

ALARICVS NARRAT AVLÆ TOTIVS HILARITATEM, *& tacitas calumniatorum insidias.*

QVID ſperem aut timeam, neſcio. Regiæ hîc celebrantur epulæ apparatiſſimis delicijs, nihil hæc ætas vidit affluentius. Leuigildus exterſit vt videtur, omnes doloris maculas, & totus eſt in ſuo Hermenigildo oculis, animo, mente defixus; hunc audit, ſpectat, demiratur. Sed interim agunt ſe per cuniculos arcana Dariacis & Hermenifiidi conſilia, quo eruptura ſint neſcio, blandam tamen ſerenitatem extimeſco.

Sed adſunt veteratores vt video, expiſcabor hîc ſi poſſim quid alant monſtri.

HERMENIFRIDVS DARIACES POTENTES AVLICI, CALVMNIATORES HERMENIGILDI,

Eius reditum extimescunt, & nouas calumnias meditantur.

HERM. IActatur vt vides nauigium nostrum medijs in fluctibus pręferoci tempestate dum impotentis fœminæ studiis seruiliùs obsequimur: adorti sumus iuuenem in *hoc fortunæ fastigio positum, vnde iaculari fulmen posit.* Nunc autē quid illa consiliorum nostrorum tam solers machinatio aduersus eiùs innocentiam profuerit intelligimus. Ex perplexo negotio se expediuit, ad patrem rediit, ad colloquium, ad amplexum, ad regias epulas, ad lætam & florentem pristini status dignitatem admissus est. Quid moror? omnium calumniarum aculeos extriuit, & luculentum suæ innocentiæ reliquit testimonium. Iam restat vt parum fœlicis in eo

opprimendo molitionis periculum in nostra capita retorqueatur, nisi tu fortasse in rebus turbulentis Deum elicias è machina, qui tantam malorum vim à nostris ceruicibus amoliatur.

Animo tantum præsenti opus est: quò se totius negotii condat nodus, peruideo, & à me superisne dicam an inferis fauentibus explicatissimè dissoluetur. Hodie cum eius Nouerca Goisuintha communicaui consilia, furit, affli&#7; ctatur mulieris impotens animus, & imis antea visceribus mersus totus recrudescit dolor, *statuit omnino aut perimere aut perimi.* Me teque consiliorum socios & administros orat, obtestatur, obsecrat, vt dolos omnes, consilia, machinationes, scelera in vnius caput euoluamus: mihi vero non placent tam lõge accersitæ & coloribus minimè pertinacibus fucatæ calũniæ. Quid fucum quærimus? præsto est in foribus veritas. Christianus est, & Romanus, quod ipse nunquam si benè adolescentis animum noui negaturus est. Hac petatur, *hac fiat impres-*

ſio quà commodus patet vulneri locus. Adulterinas habemus literas quibus Hermenigildum à Chriſtianis moneri, incitari, obſecrari confingimus, vt patrem quem per vim non potuit, per dolum opprimat. Satis eſt, hæc ſenis creduli & ſuſpicacis animum facile perſtringent.

HERM. Proinde nobis adeundus eſt dum animo exulcerato fortaſſe adhuc ſuſpicionis hærent reliquiæ: ſed ecce opportunè aduenit, nos communibus auſpiciis rem geremus.

LEVIGILDVS AVDIT CALVMNIATORES.

QVID tam ſera ſibi vult veſtra gratulatio poſt Hermenigildi filii reditũ, qui aulam vniuerſam ingenti lætitia perfudit?

DARIAC. Gratulatio quidem illis relinquenda ô Rex, qui te ereptum cupiunt rebus humanis: Nobis autem quid aliud reſtat in tanta impendentis ſceleris atro-

citate præter animi mœstitiam, squallorem, & luctum.

LEVIG. Bona verba, quæso, quò spectant istæ querimoniæ?

HERM. Tuam salutem ô Rex, si nos audis.

LEVIG. Quomodo?

DARIACES. Hodie tibi postrema calamitas impendet, nisi tuus genius hominũ malitiam, telamque improbissimorũ consiliorum præscindat.

LEVIG. Male ominamini. Reddita est rebus serenitas, Hermenigildus rediit.

HERM. Vtinam staret adhuc in acie, timeremus armatum: sed sicam inter latera vibrantem quis satis caueat?

LEVIGIL. Quorsum ista? noui filii animum, noui fidem.

DARI. Hei mihi misero & calamitoso! quia nimis securum tua te fœlicitas facit. Sed rex permitte nos de eo capite sollicitos esse, quo vno omnium vita continetur.

LEVIGIL. Si quid monstri alit noua con-

ſpiratio quam primum enarrate.

DARIAC. Vis vno verbo dicam? Romanus eſt Hermenigildus,& eodem religionis ſacramento cum tuis hoſtibus irretitus.

LEVIGIL. Latinus eſt.

DARIAC. Eſt.

LEVIGIL. Romanorum ceremoniis initiatus.

DARI. Ita eſt: cætera tibi in mentem facilè venire poſſunt, quorum ſola recordatio confundit animum.

LEVIG. Quænam illa?

DARI. Dicere exhorreſco. Per filii ſcelus tuum caput hoſtes licitantur, & quia vident illi arma minus proſperè ceſſiſſe,ad dolos confugiunt, ſuadent vt ſe tibi conciliatum fingat, in aulam redeat, in tuã ſe familiaritatem immergat, tandemque vbi commodum fuerit vltimam aleam iaciat, ſic enim eſt in his litteris quas intercepimus ſcriptum.

Quid ad hæc?

PRIN.2. Equidem ſatis mirari non poſ-

ſum tam atrocem naturam, tantis ficte humanitatis conditã lenimentis, ſed ne quid in hac re parũ conſiderate ſubrepat, cẽſeo ô Rex vt filiũ quamprimũ accerſiri iubeas, & ab eo qua poteris induſtria expiſceris an vere Chriſtianis ſacris ſe addixerit, quod ſi tuo iniuſſu fecerit quid facere debeas in hoc negotio paterna authoritas ſatis admonet.

Levig. Ite, euocate Hermenigildum.

Daria. Permitte igitur ô Rex nos diſcedere, nihil enim opus eſt vt ſibi aduerſarios agnoſcat.

LEVIGILDVS EVOCATVM HERMENIGILDVM ACERBE *increpat, & in vincula conijcit.*

NEfarium, audax, execrandum caput, dic quo tandem pretio parentis tui ſanguinem hoſtibus addixiſti? Ego te ab iſta iacente atque inclinata fortuna ad hanc lætam & illuſtrem extuli, vt eſſet qui me calcibus proculcaret? Ego te

miserum, vagũ, naufragum meo sinu excepi, vt exsecta prçcordiorum vitalia vnguibus reuelleres? Ego inter istas epulas quę penè mihi vltimæ fuerunt, vota cœlestibus pro tua salute reddidi, vt me reddentem incussi in paternas à te ceruices mei ipsi penates sepelirent? Quæ Barbaria istud pectus finxit? Quis Læstrygo deformauit? Quæ Colchis flagitio, scelere, perfidia pestiferis venenis infecit?

HERM. Quid feci pater?

LEVIG. Innocentissimum caput, quid fecerit rogat, & cum patrem interfecerit se innoxium putat.

HERM. Pater si possem diuinare, scirem quid velles? quid accusares? nunc autem quia nihil aliud in mentem venit tacebimus, & si necesse est moriemur.

LEVIG. Videte istam frontem politam, istos oculos venustulos, candidulos dentes, cerussatas genas, mollitudinem corporis, lenitudinem sermonis, me miserum hæc me deceperunt. Nesciebam quantum tam blanda specie monstri tegeret.

HERM. Facile est, ô Rex vincere non repugnantem.

LEVIG. Repugna degener, si potes, repugna, & fac te quod soles innocentem: dic, agnoscis istas literas?

HERME. Non agnosco.

LEVIG. Non agnoscis delicatã manum, non agnoscis Christianorum Græcorum consilia, & pias illas ad scelus hortationes.

HERME. Nec Græci nec Latini scelus vnquam vllum mihi suasere, ab ijs didici patrem licet Arianum amare, colere, & omnibus obsequiis venerari.

LEVIG. Vt me colueris, tua fuga, tui gladii, tui exercitus satis indicarunt.

HERME. Reuocas me pater in longa sermonum curricula, si hanc rem attingis.

LEVIG. Scio, *quicquid hic attigero vlcus est*, præscindo orationẽ. Dic vno verbo, Christianus Romanus es?

HERME. Quando hoc scire aues mi pater, rumpet hodie libertas omnia pudo-

ris & metus repagula. Sum quod quæris *Christianus Romanus*, & huius me nominis gloria ad rogum vſque comitabitur.

LEVIG. O degener, etiam gloriam poſtremum flagitiorũ omnium appellas?

HERME. Gloriam appello hoc nomen, quo nullum apud Reges illuſtrius, neque enim illa tua corona tot fulgentibus gemmis illuminata tantum habet radiorum quantũ hic titulus dignitatis. Vtinam mi pater, hæc ad cęteras tuas virtutes nota perinſignis accederet!

LEVIG. Demens & furioſe, quid imprecaris? abſit à me meoque genere tantum dedecus, tu verò quod iubeo exequere. Nomen iſtud abiice, tuis Chriſtianis nuntium remitte, eorum ſacra & cæremonias deteſtare.

HERME. Deteſter ego pater, vitam, lucem, Deum?

LEVIG. Emolliêre ceruicoſe nebulo, generis mei propudium: exuite eum regiis veſtibus, cilicio induite.

HERME. Exuo libenter iſtud inaniſſimæ

gloriæ choragium, atque vtinam ocyus facere licuisset. O vestis delicata, quantū malorum & quàm speciosa tegis miseria!

LEVIG. Iniicite catenas parricidæ, quā-primum inijcitè.

HERM. Dulces catenæ ego vos deosculor, & Regum armillis antepono.

LEVIG. Compingite in carcerem, cō-pingite donec de eius suppliciis decernā, nihil mihi deliberatius est quam vt hic paternam seueritatem hodie experiatur.

PRINC. I. O præcoces fructus lætitiæ! ô improuisam calamitatē! infœlix Hermenigilde vt me perdidisti! infœlix Hermenigilde vt te perdidisti!

IGERD. Vt exorta repentè calamitas gratulationes nostras oppressit, facinus indignum! Regium Iuuenem à patre spoliari, à patre vinciri, à patre trucidari! Quibus auribus audiet hæc infœlix Erasistratus, sed ipsum video.

ERASISTRATVS. IGERDES.
LEGATI.

Nunciantur, Erasistrato, Hermenigildi vincula, Legatis proditionem exprobrat.

IGERDES. ERasistrate fuge dum potes, Erasistrate.

ERAS. Insanis.

IGER. Peius insania hoc malum est, si nescis furor est.

ERAS. Vnde?

IGERD. Vah miser Erasistrate, quos tibi luctus offero!

ERAS. Perge, narra: quid fluctuantem animum enecas?

IGER. Vinctus est Hermenigildus.

ERAS. O fulmen! non improuisum tamen cecidisti. Actum est: vnius mulierculæ furiis prodimur, perdimur, opprimimur. O facem Regnorum! ô furiam discordiarum! ô portentum in vltimos Gedrosiorum tractus asportandũ! deinde cef-

ſant in hoc facinore cœleſtes ? ceſſant fulmina ? non diſcedit cœlum, non dehiſcit terra, non abripit conſceleratū caput ad mundi ſtrages natum. Infœlix mucro quandiu te inertem ferā ? nunc nunc exerendus es, & propudioſæ immergendus meretricis iugulo, aut domini cruore reſpergendus, ibo, inuolabo, perimam, aut peribo.

INGER. Furioſe quid paras? neſcis nos vndique cataphractis militibus incingi, diſſimula, tolera, & tuo Hermenigildo dū potes vltimum amoris munus impertire.

ATHAVL. Quid hoc rei eſt, & vnde Eraſiſtratus furit?

ERAS. Athaulphe hæc eſt fides? hæc ſunt tuæ legationis inſignia?

ATHAV. Eraſiſtrate per Cœleſtes omnes iuro, nihil in hoc negotio dolo malo commiſſum eſt, fuimus pacis nuncii, pacis exoratores, oliuas pene ex mediis bellorum incendiis retulimus, tranquilla per nos erant omnia. Hei mihi quæ furia

furia tam repentino tumultu res confundit, & in nostris funeribus tam tetre atque impure debacchatur?

GESNERIC. Ego te Erasistrate & te Igerdes testes volo, Opto, precorque, vt cœlestes in me caputque meum omnia fulmina & ardentem ipsius cæli machinam contorqueant, si aut re, aut verbo, aut assensu, hanc coniurationem alui, si resciui, si suspicatus sum. O Gothorum lumen Hermenigilde, quis te prodidit? quis tantum sceleris admisit, quis tam ferox & barbarus tibi hæc vincula iniecit? scio quia tuos oculos non spectauit. Quomodo enim non fuisset tam blandis fulminibus perstrictus?

ATHAVL. Sed vide Erasistrate ne frustra in re tanti momẽti doloris solatia in quæstus & lachrymas muliebres intendamus. Quin potius omnis à nobis lapis mouendus est, vt miserandum iuuenem ex iis laqueis eripiamus.

IGERD. Eamus Erasistrate, eamus, & occultas calumniatorum fraudes dum res

adhuc in integro est opprimamus.

ERAS. O nouerca generis humani furia!

HERMENIGILDI IN VINCVLA CONIECTI deploratio.

Hermenigilde iaces tristi defossus in antro,
Te luci ereptum lux tamen ipsa gemit.
Et tenebræ mallent fieri pia lumina solis,
Si tenebris vultus præstat adire tuos.
Nil agis impietas, nitet Hermenigildus in vmbris,
Quique animo dotes hic tulit ore faces.
Per noctem obscuro lucet carbunculus orbi,
Quo premit ista magis, fulgurat ille magis.
Lucorum per operta nitet, sic bractea fœlix,
Et facit infernas sole micare domos.
Sed tamen horrescit vinclis feralibus, vrgent
Ferrea vincla manus, ferrea vincla pedes,
Solaque veh misero macies indigna catenas

Laxat, *& implicitas non ſinit eſſe manus.*
Vulnera corporibus non deſunt improbe lictor,
Improbe, ſed deſunt corpora vulneribus.
Corpora ſi deſunt, ſuperat mens ardua corpus,
Et victrix trudit pondus in aſtra ſuum.
Seruit in Attalicis, in ferro eſt libera virtus,
Hanc adamante ligas, nil adamanta timet.
Vincula quæ fuerant, pretioſa monilia reddit,
Et ſe ſupplicijs excolit vna ſuis.
Dic tua quid meruit Iuuenum pulcherrime, virtus?
Quid meruit pietas? quod fuit auſa ſcelus?
Te miſerande puer pietas tua, te tua virtus
Perdit, & hoc ſolo vincula demeruit.
Vincula virtuti, prædonibus aſtra parantur,
Terra feret ſtellas, tu fer Olympe rubes.



PARS IIII.

LEVIGILDVS, RECAREDVS.

HIC ACCEDIT AD REGEM *pro fratre deprecator.*

LEVIG. Recarede, quid petis?

RECAR. Vincula, carcerem, & vltorem mei sceleris gladium. Tu me Rex pacis internuncium esse voluisti. Tu me ad fratrem præmisisti. Tu quietæ hilaritatis insignia præferri à me voluisti. *Me miserum! cui scenæ totam hanc fabulam reseruabas?* Scilicet Germanus germanum in fraudem induxi, innocentissimum principem prodidi, vecors & degener! Ego in hanc lanienā immisi, non iam legatus sed victimarius oliuas prætuli, quas tu innocentis hostiæ cruore respergeres. Si quid adhuc tonas & minaris, en ceruicem, ô Rex quam ferias: tantum serua Hermenigildū,

serua innocentem, serua filium.

LEVIG. ABi furiose, seruem mihi parricidam, tibi fratricidam: abi furiose, & patere tibi aliquando regnũ firmari.

RECAR. Quin potiùs ad tuos pedes deuolutus moriar, & te meo sanguine cruẽtabo, para hodie duobus filiis vnum tumulum.

LEVIG. Abi furiose.

RECAR. Satis vixi.

LEVIG. Educite, vt meis auribus opplorare desinat.

RECAR. O cælum! ô fulmen! & hîc siles?

HERMENIGILDVS CAVSAM DICIT APVD PATREM IN *cilicio, & vinculis.*

LEVIG. AGe licet tibi causam dicere, dilue si potes eas sceleris maculas, quæ tibi à sole ipso in os illud tuum importunum regeruntur.

HERM. *Innocentiam meam pater declarare*

facile est, innocentiæ patrocinium inueni-re difficile; Te vnum ego in hac flamma inuidiæ qua me ictum & prope fumantem vides, habui, quem appellarem, quem obtestarer, cui fidem meam iniquissimis calumniis vexatam crederem. Nunc autem te peracerbum accusatorē, seuerum iudicem, & quod crudelius est, patrem iratum experior. Tu me penè ab hospitali mensa & regiis epulis extractum, ornamentis exui, vinciri, & huius calamitosi carceris tenebris mandari iussisti: vereor ne si me innocentē iterum dixero, tuum iudicium quod semper grauissimum fuit videar refellere, & dum innocentiæ meæ patrocinari studeo paternam culpam accusem, quæ res mihi suppliciis omnibus acerbior semper visa est.

LEVIG. Videte orationis insidias.

HERM. Tacebo igitur (mi pater) si iubes, & silentio premam conscientiam.

LEVIG. Eloquere peruicax, eloquere: reos inauditos damnare non soleo.

HERM. Loquar igitur (mi pater) quia

iubes, non quod aut oratione aut silentio sperē aliquid me effecturum. Sed vtcunque se res habuerit, *postremas sanguinis mei voces tuis auribus infundam*. Etenim si tantū hoc quicquid miseræ animæ reliquū esse voluisti, à meis calumniatoribus expeteretur, darē cum silentio iugulum, & cruorem meum largissimè propinarem. Nunc autem hoc agitur vt demortui cineribus quiescere non liceat, sed iis ęterna criminis nota per summum scelus adhærescat: hoc si pater iniquum est, peto à te vt filii moribundi vltimos gemitus æquis auribus excipias.

LEVIG. Age, tolle istam insidiosam orationem, dic de crimine.

HERM. Non est hoc nouum crimen (mi pater) iam diu telam illam coniux tua *Goisuintha*, nobis verò nouerca semper infestior quàm eius dignitas postulabat in me & fratrem meum molitur. Vtinam (si liceret beatos manes sollicitare) parentis meæ demortuæ, tuæ verò augustæ coniugis animam ad hoc tribunal adducere

fas esset, silerem ego, & ipsa loqueretur: diceret vt impendente fatali necessitate, quæ nobis illam *maturam cælo, sed terris vtilem fæminam* eripuit, languentibus vt poterat brachijs me fratremque meum cõplexa, tibi *per genialem thorum, per castissimos amores, per intaminata connubij fædera,* communem sobolem cõmendabat: Ea tunc eramus ætate (mi pater) quæ sensum doloris vix admittit. Sed tamen vbi tuos rorantes oculos, & te moribundæ corpori affusum, dextramque prehendentem vidimus, non tenuimus infantiles lachrymas, quas & tuus dolor, & matris inter has voces expirantis obitus excussit. Tu verò nos in hac recenti orbitate tuo gremio appressos fouebas, prohibebas flere, quod vix facere poteras, manantes lachrymulas tuis abstergebas digitis, te nobis *patrem præsidio, indulgentiâ matrem* pollicebaris.

LEVIG. Hæc nihil ad crimen attinent.

HERM. Veniam (mi pater) veniam statim. Creuit hæc tenella ætas in sinu tuo,

& se per annorum curricula ad auream iuuentutem explicauit. Quis tibi tunc Hermenigildo tuo charior? quis suauior vnquam fuit? Hermenigildo imperia mandabantur, per Hermenigildum bella gerebãtur: ab Hermenigildo populorum fœdera sanciebantur, *Omnia tibi erat Hermenigildus.*

LEVIC. Alius tunc erat quàm nunc est Hermenigildus.

HERME. Placuit tunc maiestati tuæ, vt supra ætatem animum ad nuptias adijcerem. Quæsita est mihi coniux regia, Regis filia, Regis soror, Regis neptis. Sed quæ regnorum omnium titulos, omnium imperiorum insignia sola virtute superauit. Heu virgo misera, quibus & quam indignis tua indole funeribus eras reseruata! Cum hac igitur nouus coniux nouis nuptijs copulatus, videbar omnium principum fortunatissimus cui hæc cælestis forma obtigisset: Ego verò non tam flammas alebam cupiditatis, quas vix illa ætas ferre poterat, quam admi-

rationem diuinæ virtutis. Huius enim pietate, exemplo, doctrina, magiſterio fidem primum recepi, factus illi *ex marito diſcipulus; ex coniuge prope filius.*

LEVIG. Mali corui malum ouum.

HERM Tu interim mi pater, in ſecundas nuptias conuolaſti. Inducta à te nobis nouerca Goiſuintha, Ariana mulier, potens, acerba, imperioſa : Continuo mutata omnia, ſordent tibi amores priſtini, nouæ & ſubtiles flammæ ſe in ſenile pectus inſinuant, liberi primi illius quondam ſancti & fœlicis thori pignora, iam non ſunt ſolatio ſed tædio.

LEVIG. Scelerate, audes etiam coram hoc ampliſſimo ſenatu patris thoros inceſſere?

HERM. Vera dico, per vnius mulieris furias nobis quieſcere non licet, proſcindimur calumniis, agitamur toto regno. Non ſomnus, non vigiliæ, non cibus inſidiis vacuus. At crudelis fœmina, quæ patientiam tuam tentarat in minoribus, cœpit quoque in maioribus ludere. Vxo-

rem meam (hei mihi quanto cum dolore recordari cogor) angit, ſtimulat, vexat, omnem efferati pectoris acerbitatem in hanc vnam effundit. Iubet vt Chriſtianam legem repudiet: tum virgo, eo *ſe genere natam reſpondit vt mori poſſet, facere nefariè non poſſet,* hac voce quâ quid glorioſius? irritata, tot regum ſobolem inceſſit pugnis, proterit calcibus, contundit verberibus, ita vt multus è regio corpore ſanguis exiret.

LEVIG. Quando hoc auditum?

HERME. Duram habes aurem (mi Pater) ad huiuſmodi crimina, ſed tamen neque hac importuna & crudeli dementia contenta, imperat ſceleſtum facinus: Pudicum corpus veſtibus nudari, nudatum ſenſim in lacum perfrigida tempeſtate mergi, donec illa fidem patriam eieraret. Hac barbarie nihil vnquam vidit ſol indignius. Demittebant in lacum innocentiſſimam puellam carnifices, & paulatim quidem, vt acerbus eſſet ſingulis membris doloris ſenſus, funes qui-

bus ipſa tenebatur vincta laxabant. Illa verò *nihil de carnificina querebatur; tantum dolebat nuditátem*: cumque moneretur vt ſe Arianam ſemel profiteretur, ad ſingulos cruciatus vna vox excipiebatur, *Chriſtiana ſum, Chriſtiana ſum.*

Hanc nefariam crudelitatem quam ferro & flammis proſequi iuſtiſſimum erat, tolerantia vincere conſtituimus, ſeceſſi cum vxore in vrbem quam tu ipſe pater donaueras. Sed nouerca, quaſi ipſa grauem iniuriam accepiſſet quod ferrum noſtris corporibus non immerſiſſet, tota vrbe inſanire, bacchari, furere, me quaſi hoſtem patriæ, regni buſtum, patris interfectorem petulantiſſimis conuicijs inceſſere. Vtinam mi pater credulitas tua furioſis eius conatibus nimis vxoriè non eſſet ancillata: verum in me iuſſu tuo toto exercitus pondere concurritur, atque in *vnum caput terra & mari mundus armatur.* Dabis hîc veniam mi pater, ſi quod natura brutis animantibus ſuadet vt ſe, vt coniugia, vt ſobolem, contra vim tuean-

tur, hoc facere tot furiis à nouerca laceſſitus conatus ſum. Arma ſumpſi, non quibus te laceſſerē, ſed quibus me & regiam coniugem contra impotentiſſimam & crudeliſſimam mulierem tamdiu defenderem, donec tibi rem cauſamque pleniùs liceret aperire.

LEVIG. Mentiris impoſtor.

HERME. *Teſtor hic delubra cælitum, araſq; quas ego cum me inflammato animo proſequereris proſtremas occupaui*: vbi vidi hoc agi vt me iam fuga tueri non poſſet, poſſet autē gladius, ſi vellem quod lex naturæ iubet exequi, ſtatui me tuis pedibus inſontem victimam potius aduoluere, quam in tanta cauſæ æquitate repugnare. Vidiſti proſtratum, iacentem erexiſti, erectum complexus es. Quid eſt quod glorioſi illius operis lauream infuſcauit, niſi illius dolus quæ cùm armis obruere non potuerit, per iniquiſſimum iudicium tentat præcipitantem impellere? En crimen, en cauſam cur cilicio indutus, & ijs vinctus catenis quas tu prædonibus reſeruabas in tetro

atque infami carcere moribundus iaceo.

LEVIG. Romanus non es?

HERME. At Christianus sum & Romanus, hoc enim postremum arguitur; habes in hac parte (mi pater) confitentem reum. Hoc nēpè crimen est *ex quo reus gaudet, pallet iudex, cælum lætatur, terrentur dæmones, contremiscunt inferi, cuius accusatio votum est, & pœna fælicitas.* Cuperem equidem centies si liceret pro hac nominis gloria emori. Iam enim ad Dei laudes prædicandas vnum os nimis angustum videtur: concide corpus, velle, lania, *tot ora videbuntur esse quot erunt vulnera*, & per sanguinis riuos effusus spiritus, purpurata in cælum via quamprimùm euolabit.

LEVIG. Furiose, nemo contemnit vitam nisi qui desperatus viuit.

HERME. Pœnitet me Arianum vixisse, tunc (fateor) desperatus vixi.

LEVIG. Nùnc autem fatuus, & vecors viuis degener.

HERME. Viuo mi pater, in *cilicio splendidus, in vinculis liber, in carcere speciosus.*

LEVIG. Hic tuus ſplendor, tua libertas, tua ſpecies eſt, ſi me & vxorem meam cõuicijs arrodas.

HERME. Imo (pater) te tanquam Regem, dominum, patrem, ſemper honoraui, timui, veneratus ſum. Tuæ verò vxori bonam mentem, & nihil aliud ſum precatus.

LEVIG. Satis habet mentis ad tuos conatus opprimendos.

HERME. Nimis fateor, & hoc dolendũ eſt.

LEVIG. Secede, ſecede, de tuo capite deliberatur.

Agite patres ſapientiſſimi, deliberate cui ſpei tam importunum animal reſeruemus.

PRINCEPS. I. Tanta eſt ô Rex potentiſſime, eius negotij moles, & tam lubrica materia, vt quantum prudentia quæ diuturno rerum vſu concaluit confert ad dicendum fiduciæ, tantum rei nouitas, & magnitudo ſtuporis afferat. Nulla de capite, vel hominis viliſſimi præceps eſſe de-

bet ſententia. At verò cum de Regis ſobole, & de eo filio deliberetur, in quo tua decliuis ætas & Gothorum ſalus cõquieſcere videbatur, magni referre arbitror, vt quæ à te conſtituentur tantò fiant conſideratiùs, quantò periculum eſt in errore pernitioſius. Duas vt video controuerſias accuſatio complectitur, quarum altera perduellionis, altera ſuperſtitionis. Et in prima quidem quæ mihi grauior viſa eſt, atroces iuuenis querimoniȩ fuerunt, quibus omnem armorum inuidiam in Goiſuintham Nouercam deriuauit. Mihi quidem ô Rex de Auguſta coniuge tua tam mirifica inſedit opinio, vt nihil addi poſſit amplius: Sed tamen quantùm veterum replicare temporum memoriã mens noſtra poteſt, video per Nouercas ſæpe faces importatas quibus florentiſſimæ arderent familiæ. Tui erit iudicij liquidiùs videre, an Goiſuinthæ Reginȩ odia priuignum ad hæc arma compulerunt: certè quod in te iniquo non fuerit animo, facit vt credam reditus celeritas, & in hac poſtrema quæ
tibi

tibi cum illo fuit congreſſione fiducia. Habet hoc implicata ſcelere conſcientia, vt omnia reformidet, tuta ipſa timeat, & ſi folium increpuerit expaueſcat: nihil vero in hoc congreſſu vidi ſimile, exporrecta iuuenis facies; lætus atque hilaris vultus, plenus in te animus fiduciæ, plenus amoris cernebatur, ſi modo in *oculis tanquam in accuratiſsimis naturæ ſpeculis mentis ſimulacra delibamus*. Proinde conſiderandum eſt etiam atque etiam an ea quæ circunfertur in literis atrocitas ſe iſtis moribus illeuerit. Quod vero ad ſuperſtitionem Romani nominis attinet, non eſt ô Rex mirum, cum illi Chriſtianam vxorem, & Gallam coniunxeris, hæc in virum cum ipſis cupiditatis facibus religionem transfuderit. Cæterum nemo prudens gladiis & haſtis numinum metum in hominum animis defigit, vtrique potius doctore opus eſt quã carnifice. Quos tu nũc vides iſtius religionis calentes ſtudijs, inflammatos animo, ardore prope ignitos, ætas flectet, vſus leniet, prudentia

tua mitigabit.

LEVIGIL. Quid censes?

PRIN. II. Si ea esset Rex optime Hermenigildi audacia, vt sui sceleris integumentis posset esse contenta, ego quidem & in hoc negotio cunctandum arbitrarer, & alijs suaderem, vt rem quàm accuratissimè perpenderent. Nunc autem cum in apertum tetrumque facinus eruperit, quantum illius vitæ additur, tantum tuæ quā nihil in hoc orbe terrarum pretiosius, detractum puto. Non est is reus cuius non sit formidanda potentia; non est hoc crimen cui debeatur impunitas, non est hoc regnum quod tantum dedecus ferat, non est denique is iudex qui se puerilibus lachrimis à iustitiæ cursu detorqueri patiatur. Omnia vt vides iura diuina & humana polluit, excidit, funestauit: *Desertor patriæ, transfuga religionis, patris interfector, ne sibi quidem id reliqui fecit, vt sanabilem plagam infligeret*: Sed inaudita contumacia, remedium tuæ clementiæ in suum vertit scelus. Arma in patrem sumpsit,

nec regni ſanctitas, nec ætatis veneranda canities, nec parentis nomen, nec vox ipſa naturæ furioſum iuuenẽ ab infeſtis conatibus repreſſit: Tandiu ſtetit in acie, quandiu potuit, vbi ſe deſertum à ſuis, inuiſum alienis, poſteris execrandum vidit, irrepſit ad patrem, vt latrocinium in veneficium conuerteret. Nunc autem ne minus audax ad perpetrandum facinus quam ad defendendum impudens videatur, in nouercam fœminam illuſtriſſimã, & patris amores ſui furoris conſilia deriuat. *Inaudita res eſt miſer crudelis* qui in vinculis audet caſtos patris thalamos inſectari, quid faciet in purpura? qui in his centonibus alit ſuperbiam, quid facturus eſt in Attalico? qui reus minatur in carcere quid efficiet dominator in regno? Spreta Gothorum religione in Romanorum ſuperſtitionem perfuga tranſuolauit, cum patris hoſtibus contulit conſilia, ipſis ſe adminiſtrum, ſocium, ſatellitem præbuit. Quærit pater vt nefarium ſacramentum reſcindat, negat, perſiſtit in cõtumacia, &

nos mollioribus ſententiis pergimus eius audaciam alere, vt nobis in poſterum deliberandi facultas eripiatur, illi patrandi concedatur. Cenſeo igitur ô Rex quod'e re tua eſſe arbitror, vt ſi Hermenigildus in ſuperſtitione contumax eſſe pergat, paternæ ſeueritatis ſtimulos experiatur.

PRIN. I. Quid vim affers naturæ ? ſine Patrem, Patrem eſſe.

PRIN. II. Sophron, Pater eſt Leuigildus Pater regni, non iuuenis facinoroſi. Quaſi vero ignota ſit parentum in filios ſeueritas. Cartallum audiuimus maximi animi iuuenem, quòd patris miſerias contempſiſſet, & eius mœſta ac lugentia caſtra circumfluentibus quietæ fœlicitatis inſignibus intraſſet à patre vt tum erat veſtibus, auro, & pictura fulgentibus, atque inſigni corona radiato capite, in altiſſimam crucem fuiſſe ſuffixum. Scimus Torquati iuuenis victorem ſpiritum quòd patris iniuſſu pugnaſſet & viciſſet, patris imperio exhauſtum, & domeſtica fortiſſimi imperatoris calamitate ſancitum decus publi-

cæ disciplinæ. Nos vero in istis sceleribus iubes conuiuere!

LEV. Per sceptrum iuro, & potentem Gothorum geniũ hac nocte aut mentem, aut vitam exuet.

Euoca Leonidam.

LEONIDÆ TRIBVNO COMMITTITVR *Hermenigildi supplicium.*

LEV. LEonida, opus est hîc mihi tua fide in lubrico & ancipiti negotio.

LEON. Iube Rex quicquid volueris, obsequium non deerit.

LEVIG. Facies? *Leon.* Etiam rogas! *Leuig.* Fortiter?

LEON. Quando ignauus fui? *Leuig.* Cito? *Leo.* Iube & perfectum est.

LEVIG. Timeo. *Leon.* Quid me excrucias ô Rex, si tibi suspecta est fides mea? iube me coram te flammas inscendere.

LEVIG. Non hoc iubeo. *Leon.* Quid igitur? *Leuig.* vt hodie caput meum à nece liberes.

LEONID. O Rex, etiã hoc iubere oportet? dic quæso quid vis?

LEVIG. Nosti arcanum silentio sæpire.

LEONID. Hoc noui.

LEVIG. Age, Tu Hermenigildum hac nocte securi percuti, & cõfici statim cura.

LEON. O Rex quid iussisti? sanguinem tuum per me fundi? iube potius vt viuus ad inferos penetrem.

LEVIG. Age quod iubeo, vel te.

LEONID. Vide Rex ne te pœniteat.

LEVIG. Deliberata sunt omnia, perge ocyùs: ni feceris de tuo capite conclamatum est.

HERMENIFRIDVS, DVRIAS DARIACES

calumniatores cruenta palma exultantes Durias insectatur.

HERME. BEne est, abunde est, recte ceciderunt tesseræ, vincimus,

triũphamus, omnibus gaudiis affluimus, iam nec Marti nec Apollini diuinos honores inuideò. Riualis Iouis ego ſum, cui tam luculenta palma tam feliciter obtigit.

DVRIAS. Execranda capita Leſtrygones, Procuſtæ, Buſirides, portenta ex omni immanitate ſcelerum concreta quo nomine vos apellem neſcio, ite, iactate veſtram illam palmam innocentiſſimi principis ſanguine cruentatam. At ſi qui ſunt cœleſtes, ſunt autem, & veſtri ſceleris ſpectatores, tandem tandem ferient.

DARIAC. Puer obgannis.

DVRIAS. Gladiator, latro, ſpartace, tu me puerum appellas? ita eſt, puer ſum, & verè purus, tu verò homicida, tu paries humano cruore maceratus.

HERM. Duria vtile eſt tibi ſapere, abi, & ſile.

DVRIAS. Sileam ego? veſtram barbariã cœlo & terris eloquar, ſi homines non audiunt, ac certe freta, ſaxa & ſolitudines ingemiſcent.

DARIAC. Vult virgis abigi audax pusio.

DVRIAS. Effeminate, virgas etiam minaris? exere gladiũ si potes, exere Thersites, te nemo in acie virum nouit, ex immanitate omnes Lycanthropum agnoscunt.

DARIA. Hermenifride per deos sine me vt scelestus ille pusio penas hodie suæ dicacitatis persoluat: ego exenteratũ, comminutum, discerptum muscarum pabulũ efficiam.

HERME. Miser adolescens cur te is perditum? tace inquam & noli crabones irritare, *nescis linguam animæ laqueum?* nescis eam arbitram necis & vitæ? Abi infœlix, abi & desine contra solem spuere. *Infrænis oris vectigal est calamitas.*

DVRIAS. Veniat emasculatus, veniat, ego in eius ceruices inuolabo, tetros illos & funestos oculos effodiam, linguam ex ipsis faucium radicibus extractam coruis epulandam dabo, si modo corui tam scelerata dape vesci non exhorrescant.

DARIACES. Morietur, actum est, morietur.

DVRIAS. En iugulum hyæna, en iugulum, exsuge cruorem quem iam ex parte in Hermenigildo meo libasti.

HERME. Sine, furiosus est, eat sane vias suas, enimuero præclarum est nos cum adolescentulo iurgari, quin potius quod instat expediamus, ne quis nobis telam istam quam teximus reordiatur, eamus.

DARI. Ego te.

DVRIAS. Ite vultures, ite, Rex totum resciet, hei mihi quia nullus nobis ad Regem patet aditus, & fores omnes obsedit calumnia, prodimur, eijcimur, *perimus tacendo*, at forte ego inueniam viam.

DE MORTE HERMENIGILDI DEPLORATIO:

HEV scelerum incestam faciem! indignata retorquent
Ora polo stellæ, & tristi ferrugine liuent.
Ergone carnifici infandũ data victima dextræ,

Occumbis miserande puer, per regia colla
Egit atrox furias mucro, libauit in ipsa
Arce animam scrutans. *Quo desolata tulistis*
Ora Penetrales diui, dum talis ad aras
It cruor, & vestris genibus qui repserat olim
Paruulus, in vestros iam grandior hostia vultus
Offert se, exultans letho, mortemque lacessit.
Heu! pater *est nato popa, proh execrabile bustũ,*
Quam dederat lucem, vitamq́; resorbuit atrox,
Qua natura viam negat imperterritus ausis
It furor, & vitæ genitor penetrale resoluit
Quo vitam inclusit. *Tigres fleuere cadentem.*
Heu pietas! heu sancta fides! heu dextera bello
Inuicta! heu forma! & primæ lanuginis anni,
Ostentastis opes, mundi & totum instar in vno
Quæ nunc *atra dies ingrato pollice carpit.*
Qualis *vbi exultat primo sub lumine concha*
Iam prægnans rore, & tenero se sole maritat,
Et mox impletur fœtu, gestitq́; sub auras
Vnio spes Indi: cœlo improuisa sereno
Tempestas inimicum imbrem, mundiq́; fragore
Fulmina præcipitat, queis intercisus in aluo

Partus hiat, tenuesque cinis vanescit in auras.
Talis se *iuuenis prima virtute ferebat*
In decus, & magnæ spargebat semina mentis,
Cum fœtum inuidiæ præstrinxit turbine Parca.
Quam defletus obis & nulli flendus! *In astra,*
Consurgis, ridesque tui ludibria trunci.



PARS V.

LEONIDAS, HERMENIGIL.

TRIBVNVS DENVNCIAT *Hermenigildo extremam necessitatem.*

LEONID. TRIBVN. ATrox dij boni & inuisum facinus (miserum me) cuius operis administrum Leuigildus esse voluit, iubet pater, vt filium carnificis manu confici quamprimùm curem. Moram nullam interponit, vrget, instigat,

nisi fecero minatur terrores & supplicia. Parendum est omnino, quamquã inuito & reluctanti eius voluntatibus, *miser genitor qui sibi viuus eripit viscera!* miser iuuenis cui tam acerbum à patre funus instauratur. Quo vultu, qua voce, qua mente regium iuuenem compellare possim non video, & totus pene stupore confundor, heus tu Valfrede aperi carceris fores, & mihi Hermenigildum siste.

HERME. Agedum tribune, quid nuntias?

LEONID. Vtinam princeps elinguis essem, aut prius me fatum abstulisset, quam tam crudeli vocis ministerio fungerer!

HERME. Perge, eloquere fidenter, ego dudum miserijs assueui.

LEONID. Pater tibi per me vltimam necessitatem denunciat.

HERM. Grates tibi Christe summas ago, tu mihi per patrem vitam fragilem, miseram, cum muscis atque formicis communem dederas, nunc autem per eiusdem decreta, vitam nobilem, beatam, & om-

nium bonorum affluentia cumulatam concessisti. Dic quo genere mortis imperauit me confici?

LEONID. Exhorresco dicere, tantæne ceruici securim crudelis genitor impinget?

HERM. Intelligo quid velis, tantum doleo leuius hoc esse supplicij genus, *cuperem tot esse vulnera, quot sunt membra*, vt pro Christi nomine gloriosius ex hac vita discederem.

LEONID. O inauditam in hoc fortunæ fastigio constantiam!

HERME. Quando & vbi vult me interfici?

LEONID. Hac nocte in carcere.

HERM. Quota hora est?

LEONID. Iam secunda vigilia est, & ipsum appetit noctis silentium.

HERM. Leonida, Cœlum intuere: vides quot emicant stellarum faces?

LEONID. Video.

HERM. Nihil agit pater, non obscurus hac nocte moriar, *quot sunt in hoc beatorum*

domicilio stellæ, tot sunt Dei peruigiles oculi meæ testes innocentiæ. Tu saltem hoc extremũ munus indulgebis morituro, euocabis mihi vnum ex illibata Christianorum gente Pontificem, cui tuto possim conscientiam meam explicare.

LEONID. Cum Arianis Episcopis licet tibi vt voles sermones conferre, cum Romanis non licet, omni hoc ratione tuus pater acerrime vetuit.

HERM. Valeant Ariani tui, quorum ego pestiferam doctrinam execror: si mihi hoc vltimum prædonum solatium pater denegat sacerdotis alloquium, *sola teste conscientia moriar*, quid & vxori meæ vetatur ad me aditus?

LEONID. Vetatur.

HERM. *O mens sancta & immortalium cœtu digna Indegundis mea.* Non hunc tibi lectum genialem, non hos thalamos socer debuerat, quamquàm nulla tibi charior purpura, quam quæ sanguine coniugis imbuetur. Quacumque in parte terrarũ vixeris, lux mea, *viue nostri coniugij memor, & vale.*

ERASISTRATVS HERMENIGILDVM INVISIT MORITVRVM.

ERAS. VBI est? saltem amplectar moriturum: ecquis eum mihi eripiet?

LEONID. Erasistrate quo pergis miser? cur te is perditum? nescis in hoc negotio suspectam regi tuam operam videri?

ERAS. Hermenigilde principum omnium optime, qualem te aspicio, qualem te vltimùm amplector, virorum omnium amantissime etiamne ad catenas & secures venimus? *O nimis credulam tuam innocentiam! ô consilia mea nunquam satis credita!* Sed gladium adhuc habemus, animum habemus quem tibi impendamus.

HERM. Quid quereris Erasistrate?

ERAS. Facinus atrox, crudele, barbarum quod nulla posteritas expiarit. Vbi arma? vbi Cœlum? vbi Dij?

HERM. Furiosè loqueris Erasistrate: doles me Christianum mori?

ERAS. Doleo te hac innocentia opprimi, de hoc fortunæ faſtigio per iniquiſſimam calumniam deturbari, hoc ætatis flore belluis ipſis miſerando, tam crudeliter extingui; heu vbi amores noſtri? vbi breues delitiæ? vbi ſpes immaturæ? quas hic fortunæ turbo decuſſit? te verò nihil eorum mouet.

HERM. Eraſiſtrate fuit aliquando tibi graue, diurnis laboribus vehementer fatigato veſtem ad cubicularem lectum ineundum deponere? Scito hoc corpus à me poſt tot labores & ærumnas tam æquo animo exui quã quis togam exuerit. Noli angi Eraſiſtrate, fœlix & glorioſus morior, tui autem ſanctiſſimi amoris apud manes ipſos meminero.

ERAS. Imo te ſtatim ad manes ſequar: quid enim poſt precioſiſſimæ animæ iacturam terras grauem? Sed ecce Recaredus frater tuus aduenit.

RECA-

RECAREDVS HERMENIGILDVM FRATREM CONVENIT.

RECAR. Ego te frater prodidi, ego te in hanc carnificinam adduxi, ego te his catenis huic carceri mancipaui. O me præposterum pacis internuncium! ô acerbam legationem meam! ô infidelem operam! ô fraudem perfidiosam! Tu saltem frater dum viuis vlciscere, gladium istum arripe, & totum nefandis visceribus immerge.

HERM. Furiosè loqueris mi frater, noui innocentiam tuam.

RECAR. Satis est nocens cuius destinata salubriter consilia in tam funestos exitus reciderunt.

HERM. In quos?

RECAR. O infame spectaculum! somniare me adhuc, non videre istud existimo: Saltem mi frater dum res extrema spe pendet, vitam serua, Romanum istud nomen quod pater iubet abijce, vel si hoc

tua constantia non patitur, dissimula, cede tempori, necessitati rerum omnium victrici obtempera.

HERME. Apage mi frater cum istius insidiosæ orationis blanditijs suadere mihi pietatem in vitæ dispendio potuisti, *scelus cum vita & regno coniunctum suadere non poteris*: iam tempus quidem appetit tibi regnandi, mihi moriendi. Morior lubenter pro Christiani nominis gloria, pro qua millies emori, flagranti atque ignito animo concupisco. Ego nec te frater, nec parentem meum miserandum senem accuso, quinimò suadeo vt decliues eius annos, tuo excipias sinu, & omnibus officiosæ pietatis muneribus in eum perfungaris. Nouercam quoque ipsam tolerare te malim quam incessere, dum iniurias meas persequeris: *Dei est cognoscere, hominis ignoscere*. Vbi autem naturæ legibus satisfecero habebis me frater apud numen perpetuum pro tua salute deprecatorem. Spero equidem quia tu istam lasciuientis in superstitione animi ferociam mitiga-

bis, & si quid moribundi diuinant, hoc prædico tibi, & denuntio, erit tempus illud cum tu Christianis sacris aggregatus florentissimæ pietatis in hoc regno iacies fundamenta. Hoc vnum cœlestes moriturus à vobis postulo, nullum cineribus meis gratius solatium potest contingere.

CALVMNIATORES VRGENT SVPPLICIVM.

HERME. LEonida, viuit adhuc Hermenigildus? Per deos deasque omnes iuro, *si viuum sol oriens viderit, te mortuum visurus est.* Scito tibi munus tuum à rege quàm seuerissimè imperari, expedi & moras omnes amputa.

HERM. Hermenifride reddo tibi sanguinem, quem concupiscis: reddo sine mora. Valete, tu Erasistrate hanc crucem auream reddes vxori meæ, dic illi me eius magisterio informatum, vitam Christianæ religioni profundere. Si noui principis fœminæ animum, floribus potius quã



lachrimis cineres meos prosequetur. Valete iterum: quid lugetis? Leonida, iube lictorem quamprimùm accersiri: præsto sum.

RECAR. Erasistrate sic nobis eripitur? Heu pudet me cœlum intueri, satis vixi Erasistrate.

ERAS. Totus quasi pestilenti sydere afflatus obstupesco, ô funebres delitias! Misera Indegundis quos tibi & quantos luctus fero!

IGERDES NVNCIOS AFFERT SALVTIS: HERMENIGILDVM AVDIT *iam demortuum.*

IGERDES. CIto Erasistrate, cito expedi, subodoratus est Rex calumniatorum fraudem, & iam aliquot fuga dilapsi suppliciorum seueritatem anteuerterunt. Nunc fluctuat Regis animus, & peracribus suspicionis stimulis perstringitur: serua Hermenigildum; serua dum potes innocentissimum principem.

ERAS. Siste Leonida, siste.

LEON. Vixit, conclamatum est.

ERAS. Hei mihi quid video! vixit Hermenigildus.

IGERD. O prodigium! ô fata! quibus me funeribus reseruastis? Occidisti princeps innocentissime, occidisti in ipso ætatis flore, in ortu dignitatis, tam tetre à carnifice vinctus, carnificis manu luce priuatus. At ego tibi salutis nuntios afferebam! ô præposteras curas meas! ô irritos conatus! ô desidiosam pietatem! da saltem, da vt vltimos tuos spiritus excipiam, vt cruorem sacratissimum meis manibus colligam.

ERAS. Et hæc est fides! ô chlamys! ô cruor! ô sanctissimi principis monumentum! hoc igitur tantum restat ex Hermenigildo, hoc per tot terras & maria dum illi perpetuus comes hæreo sum persequutus! ô quisquis es scelerum vindex oculus, quandiu ad tam barbarum facinus cõniuebis? Hiccine est pater an Lychantropus qui tantum filium tanto scelere perdi-

dit, expecta vt in eius oculos tristes exuuias ingeramus.

LEVIGILDVS SENTENTIAM REVOCAT, MORTEM FILII *audit, & luget.*

LEVIG. Subodorari tandem incipio quod vix credi poterat. Vbi est Dariaces?

PRIN. I. Proripuit sese gladiator vltricibus conscientiæ furiis laceratus.

LEVIG. Vade ocyus & cura vt è fuga retrahatur.

PRIN. I. Pergo, sed tu Rex interim audi infœlicem Duriam pro domini capite supplicantem.

LEVIG. Vbi est?

DVRIAS. Amplector ô Rex, tua genua quando *nobis hanc postremam aram cœlestes reliquêre.* Satis superque tuæ iracundiæ fulmen pertulit infœlix Hermenigildus, satis calumniarum atrocitate vexatus est, & *luci ante mortem ereptus*: O Rex quem per-

sequeris?pater filium,& tantum filium. O Rex quem persequeris ?principem squallore & macie confectum sub cilicio & catenarum pondere ingemiscentem. O Rex quem persequeris ? vmbram hominis & cadauer. Parce tuo sanguini, parce innocentissimo Principi, parce filio, cuius nullum est crimen, nisi quod in Deum & patrem est pius, & *tua fulmina etiam percussus colit.*

LEVIG. *Quò me rapis natura ? vicisti*, viuat sanus Hermenigildus meus, quem iam constat iniquissimis calumnijs vexatum: habes Duria quod requiris, perge, aduola in carcerem, & postremum fulmen meo iussu reprime.

DVRIAS. Erasistrate quid luges ? *Erasist.* Lenta sunt ô Rex, quæ paras remedia, & mortuis nihil profutura, *vixit tuus Hermenigildus.*

LEVIG. Tam citò?

DVRIAS. O cœlum ! ô dij ! ô terra ! ô inferi ! Erasistrate quid nuncias ? videam ego, amplectar, deosculer, postremum alloquar.

ERAS. Exceſſitè viuis miſerandus iuuenis, tantus & *tot Regum filius*, *delibatum ex cœleſti fonte ſpiritum inter carnificis manus reddidit.* Tu Rex innocentem luſciniam occidiſti. Tu lumen principum extinxiſti. Tu Regni tui columē euertiſti. En cruentas filij tui exuuias, en funeſta ſpolia: fruere quoniam ita voluiſti, fruere.

LEVIG. Agnoſco meas vltrices furias, & in id tantum mentis oculos cœleſtes reddidere, vt ſtillantem filii cruorem videam, ac me infœliciſſimum omnium parricidam deprehendam. Hermenigilde fili mi, fili mi Hermenigilde, num hæc tibi à parente debebantur?

PRINC. I. O miſerum adoleſcentem! ô parentem infœliciſſimum!

LEVIG. Furioſus, vecors, execrandus ſenex, peſtifero ſpiritu cœlum inceſto, terras grauo; & verendum ne ipſos inferos ſceleribus polluam. In me, in me toto mūdi pondere elementa coniurate, ruite, excindite, opprimite, extinguite, *habeo pectus, & malitiæ & ærumnarum ferax.* O NOUERCA

mortalium Megæra,ô peſtilentes calumniæ quò me adegiſtis? Hermenigilde fili mi, fili mi Hermenigilde.

PRIN. II. Factum infectum dolor non faciet, ô Rex: *remedium malorum nullum dÿ habent, præter obliuionem.*

LEVIG. Apage, nugas occinis, dic Eraſiſtrate quo vultu mortem tulit?

ERAS. Quò victor triumphum. Nemo placidius, nemo glorioſius exceſſit è vita.

LEVIG. Nihil imprecatus eſt parenti?

ERAS. Nihil. Imo fratrem vehementer orauit vt te omni obſeruantia coleret, & tuam ingraueſcentem ætatem ſuo exciperet ſinu. Deinde Chriſtianorum Epiſcopum vt audio accerſiri ſibi poſtulauit, & vxorem in conſpectum admitti, vt extremis alloquiis Heroinam poſſet affari. Vbi verò à te vetitum reſciuit: Deo igitur inquit ſolo teſte moriar. Mox pro regni tui fœlicitate multũ precatus ceruicem præbuit carnifici.

LEVIG. O filii pietas, inter quæ vota cõ-

ſtitiſti! oportuit igitur odii *tantam virtutem ne carnificis quidem ſobrij manu concidere. Hei mihi catenas eius mors & carnifex tantum laxarunt.* Denegatũ eſt ei vltimum prædonum ſolatium, Pontificis & vxoris fidiſſimæ colloquium, immanitate prius mea quam tortoris gladio ſaucius, mihi tamen & rebus meis vitæ reliquias ac hærentem labellis animam ſanctiſſ. Iuuenis impendit. *O veſtis omni purpura nobilior! ô paterni ſceleris monumentum! nunc paterni doloris numen.* Hermenigilde fili mi, fili mi Hermenigilde, per innocentiſſimos & ſanctiſſimos manes tuos te rogo; aſpice deteſtandi ſenis canitiem, tuò licet ſanguine cruentatam. *In hoc iam ſatis miſer ſum quòd ſceleſtior eſſe nō poſſum.* Eamus vt ſi quid reſtat in demortuis membris halitus exſugamus, & illi vel ſpiritum impertiamur, vel mortem eius ſuſcipiamus.

IGERD. O Rex deſine iam filium lugere, quinimo martyrem venerare. Mirum vbi ſpiritum exhauſit, & in lecto funebri collocatum eſt cadauer, ſuauiſſimus vocũ

concentus audiri, mellitissima symphonia locum personare, faces circa demortui puluinar lenissimis tractibus discurrere, carcerem ipsum multa luce circunfusum vndique collucere: Quid istud rei sit nescio, nisi cœlum ad honestandas martyris reliquias in ergastulum confluxerit: Audisne adhuc istius symphoniæ reliquias, audi, & corpus martyris si placet intuere.

LEVIGILDVS HÆC AD LECTVM FVNEBREM.

LEVIG. HErmenigilde fili mi, fili mi Hermenigilde, bene est, patris tui crudelitas, cœlo teste reuincitur. *Plenum habes fili mi innocentiæ tuæ præconium, Deo iudice absolutus, Deo munerario coronatus.* Hermenigilde fili mi, aspice infelicissimum senem quondam parentem tuum, deinde carnificem, nunc autem tuum supplicem, ad tuum pheretrum iacentem atque prostratum, & nisi sacrilegas

manus & os pollutum deteftaris, da beatiffimos pedes tangam, da manus deofculer, da cruorem abftergam, da vt fenilibus lachrimis lauem vulnera, tantum cruentarum lachrimarum erumpã quantum cruoris profudifti, Hermenigilde fili mi, fili mi Hermenigilde; debebas nobis Regem: Martyrem fecifti.

ERAS. Hei mihi ferro cædi potuit, verbis excitari non poteft. Et hæc erit igitur Erafiftrati portio. O caput magnæ quondam mentis domicilium *! oportuit mundum ruere cum cecidifti: ô lumina quondam fulgura, nunc tenebræ!* Dulces oculi non vos fpectauit qui vos extinxit, hoc fcio: & vbi fepelietur hæc ceruix? nifi in finu meo.

DVRIAS. Hermenigilde poftremum me alloquere, manda aliquid, præcipe vt folebas: non totus mihi occidifti. Quis te meis amplexibus eripiet? *Diuidam folus ego cum morte, auara eft fi totum Hermenigildum rapit: inuicta eft fi amorem meum vincit.* Certè aut vitam meam exhauriet, aut


tibi extremos ſpiritus cum anima inſpirabo. Suſcipe me princeps optime atque ſuauiſſime ; noli mortuus contemnere, quem viuus ſanctiſſimè dilexeras; miſceā tecum ſpiritum, miſceā cineres, non onerosa ſanctis manibus accedam ſarcina.

LEVIG. Efferte efferte corpus ſanctiſſimum, vt dignas Rege martyre exequias inſtauremus.

PROSPHONETICON.

I Sacer ad Superos iuuenis quà curribus altis
Conſurgit virtus, & mixta potentibus aſtris
Sub pedibus calcat curuatas fornice nubes.
Impar terra fuit tantis virtutibus, impar
Terrarum imperium, te ſolis lucida templa,
Et circumtextum ſtellis diadema manebat.
Fortunate puer, cœli quacunque receptus
Parte micas, tantùm placidis caput exere terris,
Tu triſtes canos miſeri ſolare parentis,
Et fac te orbatæ ſidus venerabile genti.

FINIS.



LECTORI.

HÆc tu Lector beneuole dextera manu data, dexter accipe. Quid habeant operæ & laboris ſcio: quid commendationis neſcio. Nunc pruriẽtibus partim ad rerum farraginem, partim ad nugas calentibus multorum ingenijs caſta & grandis alget eloquentia, *quæ pene miſeria eſt rumoris boni*. Sed quod deterius eſt eo quiſque apud molles cathedras peritior, quo nequius *cenſum* [illegible] cauponatur eloquentiam. Parantur animarum pretijs foměta libidinum, & ad circumſcribendos mortales monſtrum inauditum *ſtudioſa ſit luxuria*. Hæc tanto me ardentiùs impulerunt, vt ſacras tragœdias committerem luci, quam erubeſcere non poteſt argumento Felicitas. Iniquum eſt ſiquidem Phyllidis aut Chariclеæ amoribus ardere ſcenas, & de martyrũ agonibus Chriſtianorum pulpita conticeſcere, *quos ignorare flagitiũ eſt, contemnere piaculum*. Vtinam beati athletæ ſtylum noſtro excultiorem nacti eſſent! ſed damus hæc tibi, *Dei verbum ſcientiarum parens, quæ fœtum voluntatis opera, magis penſas, quàm ingenij opuſcula: Hic te ſatis laudat, qui te tuam laudem credit.*

ERRATA.

In Solyma.

P. 34. v. 17. omissum (aut) aut ad quas neces? p. 23. v. 21. Nobis nec adeo. p. 46. v. 6. repone deferre pro ferre. p. 62. ictui pro ictu.

In Nabuchodonosore.

P. 6. v. 3. repone, Hoc esse censes? pro censes hoc. p. 33. quid pro quod. p. 59. v. 2. gemina, Dij monstra! monstra! p. 68. v. vltimo. tetra *(repone) post* miseranda.

InFelic itate.

Præter emendata, repone scrofa pro strophe. p 64. p. 97. applicitos pro applicito.

In Theodorico.

P. 61. v. 17. emenda lurida, tetra, impia. Cætera æquo Lectori committimus.





